This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Lt
1
795

HARVARD
COLLEGE
LIBRARY.

Lt 1.795

SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.

CHRISTO ET ECCLESIAE

BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE BEQUEST OF
MRS. ANNE E. P. SEVER,
OF BOSTON,
Widow of Col. James Warren Sever,
(Class of 1817,)

24 June, 1884.



DE

PARTICULARUM „QUASI“ ET „VELUT“ USU TACITEO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

HERM. HAHN

HAMBURGENSIS.

GOTTINGAE,

EX OFFICINA ACADEMICA E. A. HUTH.

MDCCCLXXVII.

Lt 1.795

JUN 24 1884

Sever fund.

In lexico Taciteo a Guil. Boetticbero anno domini MDCCCXXX composito, quod hodie quoque temere spernere non licet et quo, ut utamur, si de rebus Taciteis disputare velimus, necessitate magis, quoniam aliud meliusque in promptu non est, quam pretio eius et virtutibus cogimur, particularum comparativarum „tamquam, quasi, velut“, me minima quidem mentio facta est. Primus de usu harum particularum, qualis apud Tacitum exstat, accuratius disseruit optimeque de earum explicatione meritus est Eduardus Wölflinius qui diligenter distingueret inter significationem, quam exhibent in enunciationibus comparativis (quibus aut similitudinem aut speciem falsam introducunt) atque inter vim causalem, quam compluribus locis ex more linguae Graecae adeptae sunt *). Quam secundam particularum vim, ne de veterioribus dicam grammaticis, recentiores quoque, qui primis nostri saeculi temporibus floruerunt neque intellexerunt neque explicaverunt. Zumptium solum cognitio causalis naturae „quasi“ particulae non prorsus effugisse videtur, quod intelligitur ex verbis eius **): „Auch quasi, als ob, hat oft die bedeutung des grundes, aber des falschen; doch bei Tacitus auch zuweilen des angegebenen, der nur als nicht hinreichend bezeichnet werden soll“, Annal. XII, 52 „Scribonianus in exsilium agitur, quasi finem principis per Chaldaeos scrutaretur, es war aber auch wirklich so“. Atque Th. Kiessling quoque in adnotationibus ad Hist. I, 6 scriptis sententiam Waltheri, tum ab omnibus fere hominibus doctis receptam et approbatam: „*ut* veram rationem indicare, *tamquam*

---

*) Cf. Leutschii Phil. XXIV, p. 115 sqq. „Ein verkannter gräcismus des Tacitus“.

**) Zumpt, lat. gr. Cap. 67, § 346.

falsam speciem" refutavit propriusque sua particularum explicatione ad veritatem accessit. Eodem fere tempore, quo Wölflinius suam de particulis comparativis instituit quaestionem, Heraeus *) tanta cum accuratione de particula „tamquam" disseruit, ut nihil praetermisisse videatur, quod addi possit. Quoniam Wölflinius sua in quaestione in universum magis de vi et significatione harum particularum scripsit, quam ut singulos locos, quibus inveniuntur, nullo excepto diligentissime explicaret neque exempla, tam accurate, quam desiderari potest, collegisse videtur, ego mihi proposui de particularum „quasi" et „velut" usu Taciteo agere. Viam igitur, quam doctissimus ille homo aperuit et demonstravit ingrediar et, qua possum maxima cum cura, primum de „quasi" particula, deinde de „velut" disseram.

*) Heraeus, Programm v. Hamm, 1859.

Pars I.

De usu particulae „quasi" Taciteo.

Nemo non intelligit, qualis sit particulae „quasi" origo; manifestum est duabus e partibus, e „quā" et „si" eam compositam esse. Jure igitur ex harum duarum vocum natura concludere licet, primariam particulae vim comparativam fuisse atque hac ex genuina significatione ceteras, quas invenimus, emanasse. Quae cum ita sint, si accuratis particulae vim finibus circumscribere volumus recte Wölflinio assentiemur, qui de particula „velut" disserens, eam eosdem, quos „quasi" et „tamquam" significationis gradus passam esse, explicat *). „Doch wir haben noch ein drittes synonymum, welches genau den gleichen weg durchgemacht hat, wie das zuletzt genannte „quasi", zuerst bei vergleichung gebraucht wurde, nachher einen schein, einen falschen schein, eine gegründete oder ungegründete vorstellung, einen grund bezeichnet". Suo loco de variis significationis generibus explicatius disputabimus. — Aut cum verbo finito coniungitur particula (tum fit forma similis per collationem compositi) aut sine verbo finito exhibetur (tum adest forma similis per brevitatem compositi, cf. Auct. ad Herenn. IV, 679). Viginti sex exempla apud Tacitum inveniuntur, quibus cum verbo coniuncta et vi quadam conditionali praedita coniunctionis partes suscepit particula, quam ut apud ceteros scriptores Romanos etiam apud Tacitum semper modus coniunctivi sequitur. Occurrit autem coniunctivus Imperfecti bis et vicies, coniunctivus Plusquamperfecti quater. Coniunctivus vero eam ob causam ubique ponitur in his enunciatis secundariis a „quasi" pendentibus, quod nonnunquam nisi res in cogitatione sola existens eis exprimitur. Inquirentibus nobis singulos in locos liceat primum de eis quaesionem instituere, quibus particula coniunctionis partes

*) Philol. XXIV, p. 122.

agit. Primo igitur dissertationis capite ad eos transeamus locos, quibus species quaedam veritati rerum non respondens particulae vi efficitur. Qui usus apud Tacitum frequentissimus est. Nam primaria illa vis, qua soli comparationi meraeque similitudini servit particula, ut apud Ciceronem: Cat. Maior, § 71, „quasi poma ex arboribus, cruda si sunt, vix evelluntur, si matura et cocta, decidunt: sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas", apud Tacitum, si partes coniunctionis agit, nusquam servavit retinuitque particula. In scriptis minoribus nulla invenies exempla, quibus particula coniunctionis vi praedita posita sit; ea autem, quae in Historiis leguntur omnino eum praebent usum, quo falsa quaedam species indicetur. Nunc singulos locos enumerabimus.

Hist. I, LXXI, 9 *): „Nec Otho quasi ignosceret, sed deos testes mutuae reconciliationis adhibeus, statim inter intimos amicos habuit, et mox bello inter duces delegit".

Narrat Tacitus, Celsum, qui fidem erga Galbam constanter servasset ab Othone liberaliter acceptum esse neque imperatorem speciem veniae adpetisse, sed cum eo se reconciliasse. Cf. cap. XXXXV. — Halmius hunc ad locum in indic. crit. pag. IX adnotavit: „Non ita egit Otho, quasi Celso ignosceret, quippe cui nullam culpam exprobare videri vellet, sed veterem gratiam renovans, palam deos festes mutuae reconciliationis adhibuit". In textum recepit Heraei emendationem, a lectione codicum: „sed ne hostes metueret conciliationis adhibens", recedentem. In Mediceo, a quo omnis in Tac. Historiis ars critica pendet verba a cap. LIX, 2 usque ad cap. LXXV, 10 desunt, uno folio deperdito. Quo casu coacti sumus e fontibus minus puris haurire lectiones. Duobus codicibus Florentinis, quos ex Med. descriptos, priusquam illud folium interisset, Baiterus contulit maxima fortasse fiducia tribuenda est. Nostro vero loco codicum lectio sine ullo dubio corrupta est. Utrum Heraei emendatione lectio primaria verbotenus restituta sit dubitari potest; in sensum autem, qui hoc loco desideratur eam cadere nemo negabit.

*) In adnotandis locis Halmii editionem secutus sum.

Hist. I, XXXX, 7. „Igitur milites Romani, quasi Vologesen aut Pacorum avito Arsacidarum solio depulsuri ac non imperatorem suum inermen et senem trucidare pergerent — — — forum inrumpunt".

Ita milites Romani se gesserunt, ut, si non scisses Galbae odio incensos eos esse, facile credidisses Parthorum quendam regem eos depulsuros fuisse.

Hist. I, LXXXX, 15. „Quasi dictatorem Caesarem aut imperatorem Augustum prosequerentur ita studiis votisque certabant".

Tacitus descripsit hisce verbis simulatam populi Romani in Othonem, cum contra Vitellium proficisceretur, caritatem voluntatemque. Nam simulationem manifesto indicant verba, quae antecedunt: „clamor vocesque volgi ex more adulandi nimiae et falsae", ita ut nostro sermone reddendus sit locus: g'rade als ob sie einem dictator Caesar oder einem imperator Augustus das geleite gäben, wetteiferten sie etc. Vocabulo „g'rade" vel „ganz" autem usi sumus, ut speciem illam, quae in sermone latino praepositione enunciati relativi, quod enunciatio demonstrativa sequitur, effecta est, nostra quoque lingua exprimeremus.

Hist. III, XIX, 3. „Utque cumulos super et recentia caede vestigia incessere, quasi debellatum foret, pergere Cremonam et victos in deditionem accipere aut expugnare deposcunt".

Si contuleris cap. XXI libri tertii, quo narratur, sex legiones omnemque exercitum, Hostilia amotum in proelium accingi ac iam adfore, et capp. XXII et XXIII, quibus vehementissima et atrocissima proelia apud Cremonam facta, describuntur, certo intelliges illud „quasi debellatum foret", cum aliqua veritatis specie contendi non potuisse, qua de re transvertendus est locus: als ob der krieg entschieden wäre".

Ex annalibus, quae sequuntur, exstant exempla: Annal. II, XXXVI, 7. „Tiberius tamen, quasi augeretur potestas eius disseruit: grave moderationi suae tot eligere, tot differre". „Als ob seine amtsgewalt zu sehr erweitert werde". Nam, quo sensu haec verba scriptor intelligi voluerit, aperte elucet ex sententia, quam in fine capitis posuit: „favorabili in *speciem* oratione vim imperii tenuit". Re enim vera non

modestia adductus sed metu commotus, ne Galli sententia arcana imperii temptarentur, orationem habuit Tiberius.

Annal. IV, XIX, 10. „Igitur multa adseveratione, quasi aut legibus cum Silio ageretur, aut Varro consul aut illud res publica esset, coguntur patres".

Respicit illud „igitur" ad verba, quae antecedunt: „proprium id Tiberio fuit scelera nuper reperta priscis verbis obtegere". Confirmavit hisce verbis Tacitus, sibi ea, quae protulerat Tiberius ad refellendum reum, brevem moram precantem, dum accusator consulatu abiret: „solitum quippe magistratibus diem privatis dicere; nec infringendum consulis ius, cuius vigiliis niteretur, ne quod res publica detrimentum caperet", verba tantum inania visa esse. Aegritudine et indignatione incitatus priscis verbis notam, ut ita dicam particulae adiectione inussit: „als ob das den namen: gesetzlich verdiene, als ob Varro „consul", das römische reich „staat" heissen könne". Cf. Nipperd. pg. 271.

Annal. VI, LVI, 13. „Nam Tiberius, incertum an offensus tantoque magis iram premens, instaurari epulas iubet discumbitque ultra solitum, quasi honori abeuntis amici tribueret".

„Als ob er das dem scheidenden freunde zu ehren thäte". Re autem vera ultra solitum discubuit, ut manifestam virium defectionem tegeret. Profecto enim, Charicli medico, qui, cum per speciem officii manum complexus, pulsum venarum explorasset, eum fallere non potuerat, quidquam honori tribuere ne minimam quidem habuit causam.

Annal. XII, VII, 14. „Cupido auri immensa obtentum habebat, quasi subsidium regno pararetur".

Non ut regno subsidium pararet, quod obtentum habebat, sed ut insatiabili auri cupiditati, qua vexabatur, satisfaceret Agrippina undique opes collegit.

Annal. XII, XXXVIII, 6. „Censentur Ostorio triumphi insignia, prosperis ad id rebus eius, mox ambiguis, sive amoto Carataco, quasi debellatum foret (cf. Annal. III, XIX, 3.) mihus intenta apud nos militia fuit, sive hostes miseratione tanti regis acrius ad ultionem exarsere".

Capto Carataco rege, legiones, quae in Brittania stipen-

dia faciebant, crediderunt bellum ad finem perductum esse; quae falsa opinio gravibus damnis, ut ex cap. XXVIII et proximo discimus, eas afflixit.

Annal. XIII, XXI, 26. „Colloquium filii exposcit (Agrippina), ubi nihil pro innocentia, quasi diffideret, nec beneficiis, quasi exprobraret, disseruit, sed ultionem in delatores et praemia amicis obtinuit". „Als ob sie zu ihrer sache kein vertrauen habe"; „als ob sie sich auf die von ihr erzeigten woltaten berufen wolle". Verbis totoque habitu nullum dedit signum, quo commotus Nero suspicaretur, eam diffidere vel exprobrare velle.

Annal. XIII, XXXVIII, 19. „Medio sextam legionem constituit, cui accita per noctem aliis ex castris tria milia tertianorum permiscuerat, una cum aquila, quasi eadem legio spectaretur".

„Es sah so aus, als ob es nur eine legion wäre". Consilio Corbulo speciem excitavit, qua hostes crederent unam esse legionem, quae re vera tribus milibus tertianorum aucta erat.

Annal. XIV, IV, 17. „Jam pluribus sermonibus, modo familiaritate iuvenili Nero et rursus adductus quasi seria consociaret, tracto in longum convictu, prosequitur abeuntem".

Nemo certe dubitabit, quin foedissimam in matrem simulationem Nero, illo, quo se gessit modo, commiserit.

Annal. XIV, VIII, 1. „Interim vulgato Agrippinae periculo, quasi casu evenisset, ut quisque acceperat, decurrere ad litus".

Ex capite tertio h. libr. cognovimus, qualis fuerit ille *casus*, quo naufragium Agrippinam passam esse, volgus stultum arbitrabatur.

Annal. XIV, LI, 5. „Plures iussu Neronis, quasi remedium adhiberetur, inlitum palatum eius noxio medicamine adseverabant".

„Als ob ein heilmittel angewandt werden söllte".

Secundum opinionem eorum, qui suspicarentur, Burrum veneno interfectum esse, illud medicamentum, quo fauces tumescerent meatusque spiritus impediretur, *remedium* minime quidem vocari poterat neque erat.

Annal. XIV, LVI, 14. „Prohibet (Seneca) coetus salutan-

tium, vitat comitantis, rarus per urbem, quasi valetudine infensa aut sapientiae studiis domi adtineretur".

Senecam post Burri mortem, ut in cap. LII huius libri legimus, variis criminationibus, maxime ex auctis eius opibus et magnificentia villarum atque ex auctoritate, quam eloquentia sibi comparaverat, desumptis adorti sunt, quorum invidiae haud ignarus metuque sollicitus, ne praesens Neronem ultro incitaret, ab aulis principis sub specie valetudinis infensae sapientiaeque studiorum se removit.

Annal. XV, LIII, 5. „Ordinem insidiis composuerant, ut Lateranus, quasi subsidium rei familiari oraret, deprecabundus et genibus principis accidens, prosterneret incautum peremeretque etc".

Oratio pro re familiari coram Nerone habita, nihil nisi obtentus erat, quo melius et inexpectatius Caesari vim inferrent coniurati.

Omnibus, quae usque ad huc adnotavimus, exemplis, particulam „quasi" cum Coniunctivo Imperfecti coniunctam legimus; nunc ad minorem illorum transeamus numerum, quibus Coniunctivus Plusquamperfecti occurrit.

Annal. XIII, XXV, 14. „Iuliusque Montanus senatorii ordinis, sed qui nondum honorem capessisset, congressus forte per tenebras cum principe, quia vi attemptantem acriter repulerat, deinde adgnitum oraverat, quasi exprobrasset (cf. Ann. XIII, XXI, 26.) mor(t)i adactus est".

Profecto in eo, quod adgnitum Neronem oraverat Montanus, exprobratio nulla inerat, ita ut falsa accusatione condemnaretur: als ob er vorwürfe gemacht habe.

Annal. XIII, XXXXVII, 16. „Perinde tamen, quasi convictus esset, cedere patria et Massiliensium moenibus coërceri iubetur".

Accusatus erat Cornelius Sulla, Neroni per viam Flaminiam regredienti insidias composuisse. Sed e verbis, quae nostro loco antecedunt: „neque servorum quisquam neque clientium Sullae adgnitus, maximeque despecta et nullius ausi capax natura eius a crimine abhorrebat"; consentaneum est, eum neque Taciti neque reliquorum, excepto unice Ne-

ronis iudicio, iure convictum esse. Damnatus immo est, quasi convictus esset: „als ob er überführt sei".

Annal. XIV, XXXI, 7. „Praecipui quique Icenorum, quasi cunctam regionem muneri . . . . . . accepissent, avitis bonis exuuntur et propinqui regis inter mancipia habebantur".

Minime Romanos cunctam regionem muneri accepisse ex primis capitis verbis conspicuum est, quibus certiores facti sumus, regem Icenorum, Prasutagum, Caesarem heredem *duasque filias* scripsisse. Introducit igitur particula causam falsam rerumque veritati oppositam. — Mediceus praebet lectionem, quam supra dedimus sed post „muneri" lacuna statuenda esse videtur. Nam, quamquam notissimum est, Tacitum saepius subiectum mutasse, hoc ex usu tamen hoc loco argumentum nullum sumi potest, quo, interposita non parva sententia secundaria, iure in dubio versamur, quod omnino subiectum esss putemus. Subiectum igitur quoddam interponendum est, quod, si accuratam grammaticae normam sequimur ex proximo enunciationis, quae antecedit, membro quaerendum „servi" est.

Fortasse Nipperdeius recte iudicavit, qui putat, verba: „quasi cunctam regionem muneri accepissent" interposita esse a lectore quodam.

Annal. XIV, LII, 7. „Hi variis criminationibus Senecam adoriuntur, tamquam ingentes et privatum modum evectas opes adhuc augeret, quodque studia civium in se verteret, hortorum quoque amoenitate et villarum magnificentia quasi principem supergrederetur". Cf. Annal. XIII, Capp. 18 et 42.

Postremo hunc tractamus locum, quia transitum quendam significare videtur a significatione particulae falsam speciem indicantis ad illam, qua rerum quarundam veritas rectaque causa profertur. Cum Nipperdeio, quem hunc ad locum conferas, „quasi" non solum ad vocem „principem" quod Ernesti, Orelli, Döderlein, Dübner voluerunt, sed ut illud „tamquam", quod antecedit, ad totam enunciationem referendum esse puto etsi negari non poterit apud Tacitum exstare exempla, quibus „quasi" vim adverbiorum „prope", vel „propemodum" adeptum sit. (Cf. Annal. I, 68; VI, 39; XII, 7).

Sed quae sit particulae vis, dubium est, cum diiudicare non possimus, utrum rectae fuerint criminationes in Senecam compositae, necne cumque ex Taciti verbis conspicuum non sit, quale ipse hac de re tulerit iudicium. Ne igitur scriptori imputemus sententiam, quam edere noluit, commovemur, praesertim cum ubique Tacitus in scriptis studeat dubiis in rebus non suum profiteri iudicium, sed allatis solumfactus, legentium sententiam expectare atque exposcere, quod, exempli causa, enunciationes disiunctivae saepissime usurpatae et per „incertum an" introductae probare possunt *), hunc locum nostro sermone reddere: „weil er den fürsten überboten habe", qua translatione Wölflinium secuti **) nos quoque, ut ipse Tacitus, rem incertam nondumque diiudicatam reliquimus.

Omnibus, quae adhuc enumeravimus, exemplis, enunciationes secundarias a „quasi" pendentes cognovimus, quibus indicatum est factum, rerum veritati non respondens, vel si ad proximum spectamus exemplum aliquid de cuius veritate pro certo nihil statui poterat. Priusquam nunc ad alterum particulae significationis genus transgredimur, necesse est, ut de locis duobus disputemus, qui talem particulae usum exhibent itaque comparati sunt, ut et similitudine quadam coniuncti sint cum exemplis illius ordinis, quem tractavimus, et penitus cum eis, de quibus nunc dissere nobis proposuimus, cohaereant.

Legimus enim: Hist. I, XVII, 5. „Nihil in voltu habituque mutatum, quasi imperare posset magis quam vellet".

Nemo non intelliget, hoc loco a particula non pendere enunciatum, quo causa aliqua addatur, ex qua antea prolata orta sint, ita ut inepte transferatur: „weil er etc.", qua in re ab exemplis iam enumeratis non differt. Attamen equidem mihi persuadere non possum, Tacitum hisce verbis Pisonem, ut hominem abstrusum et falsum describere voluisse, eundem virum, de quo in cap. XIV tam benevolum tulit iudicium verbis: „Piso M. Crasso et Scribonia genitus, nobilis utrimque, voltu habituque moris antiqui ex aestimatione

*) Cf. Wölflin. Philol. XXV, pg. 126.
**) Cf. Phil. XXIV, pg. 120, Anmerk.

recta severus, deterius interpretantibus tristior habebatur" etc. et in cap. XXXXVIII: „fama nobiliore quam fortuna". Hisce verbis et toto benigno scribendi tenore, quo ubique erga Pisonem Tacitus usus est commotus, putare non possum nostro loco eum Pisonem adrogantis simulationis accusare voluisse: „als ob er mehr die kraft als den wunsch hätte, kaiser zu sein, cum re vera imperare non potuisset. Videtur, mea ex sententia scriptor modum, quo Piso apud patres se gesserat, accuratius explicare voluisse, quem ad finem, ut qui legerent verba: „nihil in voltu habituque mutatum", recte intelligerent, quid eis significare sibi proposuisset, addidit explicationem quandam per similis formam expressam: ita nihil in voltu habituque mutatum habuit, inquit, ut vir, qui imperare posset magis quam vellet. Vertam sic: „Im ausdruck seines gesichts und in seiner haltung zeigte er keinerlei veränderung, wie einer, der mehr die kraft, als den wunsch hat, kaiser zu sein". Interpretamur igitur „quasi" ut particulam, qua simile a veritate non alienum proferatur. Deest particulae vis causalis, adest vero rerum veritas.

Hic quoque addendus est locus, qui invenitur in Annal. XIV, XXXII, 2. „Inter quae nulla palam causa delapsum Camuloduni simulacrum Victoriae ac retro conversum, quasi cederet hostibus". „Gleichsam, wie wenn es den feinden wiche". Ut priore, hoc quoque loco particula vim comparativam servasse videtur. Nam cum negari non possit, Tacitum pro certo credidisse ex prodigiis futura indicari *), falsum sane est, si falsam speciem particulae vi ortam statuimus. Non licet hac de re vertere: „als ob es wiche".

Nunc transgrediamur, si libet, ad alterum particulae significationis genus **), quo falsam speciem plane amisit et quo causa quaedam, quam non ut suam, sed ut subiecti enunciationis propriam adfert scriptor, introducitur optime cohaerens cum veritate, ita ut particula non voce „als ob" et coniunctivo, sed iure optimo voce „weil" et indicativo nostro in sermone reddamus, qua in re plurimi eorum, qui

*) Cf. Nipperd. in praef. ad Annal. pg. XVI.
**) Cf. Wölflinius, Phil. XIV, p. 115.

Taciti opera aut ediderunt aut transtulerunt nostram in linguam valde erraverunt. Exempla quae exstant, in Annalibus tantum leguntur.

Annal. I, XXXV, 14. „Tum vero, quasi scelere contaminaretur, (Germanicus) praeceps tribunali desiluit" *).

„Weil er die schande fühlte, die man ihm zumuthete"; falsissimum vero: „als muthete man ihm einen schandbaren frevel zu", ut Rothius transtulit. Certissimum enim est, si verba, quae sequuntur, conferimus, si legimus: „opposuerunt abeunti arma minitantes, ni regrederetur; at ille moriturum potius quam fidem exueret clamitans, ferrum a latere diripuit elatumque deferebat in pectus, ni proximi pressam dextram vi adtinuissent", si deinde computamus generosum egregii viri animum, qualem ex historia cognovimus, commovebimur, ut credamus, eum sane non, ut vilem histrionem offensi partes obtinuisse neque contaminationem simulasse, sed re vera, oblato imperio fideque temptata gravissima arsisse iracundia.

Annal. XII, LII, 2. „Fausto Sulla Salvio Othone consulibus Furius Scribonianus in exsilium agitur, quasi finem principis per Chaldaeos scrutaretur".

Jam Zumptius, ut supra memoravimus non procul a veritate aberravit, explicans locum verbis: „es war aber auch wirklich so", quam explicationem Wölflinius emendavit et accuratius expressit **): „weil er, wie man ihm zur last legte (angeblich), Chaldäer über den todt des kaisers befragte". Non, W. inquit, scriptor periculum praestitit contentionis, iustam fuisse accusationem, quod fieret, si scriptum esset: „quia scrutabatur". Verisimile quidem est, accusationem te-

*) Nipperdeius, qui multis locis Wölflinii sententiam secutus est, negavit hoc loco aliam particulae, quam usitatam inesse vim verbis: Die voraussetzung der möglichkeit seines abfalles von Tiberius erfüllte ihn mit so lebhaftem unwillen, als wollte man ihn in wirklichkeit zu einem verbrechen nöthigen. Attamen milites seditiosos non de rebus futuris cogitasse, sed praesenti temporis momento ad arripiendum imperium eum impellere voluisse ex eis, quae antecedunt, non minus quam ex verbis, quae sequuntur consentaneum videtur.

**) Cf. Wölfl. Phil. XXIV, pg. 119.

mero fictam non esse, sed ne fortasse falsa traditione corrupta traderet, suspitione, qua fuit, commotus legentibus permisit Tacitus, utrum rectam an falsam fuisse causam damnationis aestimare vellent. Confirmatur haec sententia, verbis quae sequuntur: „Adnectebatur crimini Vibia, mater eius, ut casus prioris (nam relegata erat) impatiens". Vertas: „weil sie, nach erwägung der richter ihre verbannung nicht verschmerzen könne".

Annal. XIII, XVIII, 11. „Tribunos et centuriones comiter excipere, nomina et virtutes nobilium, qui etiam tum supererant, in honore habere, quasi quaereret ducem et partes".

„Weil sie (nach Meinung des Nero) einen führer zu gewinnen und eine partei zu bilden sich bemühte". Neglecta mater Agrippina, cuius in Neronem ira nulla eius munificentia leniri poterat, non solum simulavit, se ducem et partes quaerere, sed re vera contra filium variis artibus nobiles incitavit viros, ut, data occasione, ultionem sibi pararet. Quod etiam Nero non nescit, sed ex palatio eam expulit, „ne coetu salutantium frequentaretur".

Annal. XV, LXXI, 12. „Exuti dehinc tribunatu . . . . Pompeius, Cornelius Martialis, Flavius Nepos, Statius Domitius, quasi principem non quidem odissent, sed tamen existimarentur". „Sie wurden des tribunals entsetzt, nicht weil sie den kaiser hassten, sondern weil man es ihnen zutraute".

Adnotavit Wölfl. particulam similem vim adeptam esse hoc loco, quam particulam causalem „quod" *).

Omnia, quae adhuc protulimus exempla id commune habebant, ut in eis „quasi" coniunctionis partes obtineret, unde enunciatio secundaria pendebat; diversa inter se erant eo, quod hic particula serviebat ad exprimendum simile, illic ad efficiendam falsam quandam speciem, illic denique ad addendam causam a veritate rerum non alienam. —

---

*) Liceat addere, quae olim Acidalius ad explicandum Hist. I, LXXI, 9. adnotavit: „Lego", inquit, „nec Otho quasi ignosceret, sed ne hostis metum reconciliationi exhiberet". Recepit Celsum statim inter intimos amicos, non tamquam, *vel quod* (*id enim hic valet. quasi*) re vera ei ignosceret". Statuit igitur iam vetus ille grammaticus, particulam „quasi" nonnunquam vim causalis particulae „quod" sumere posse.

Numquam apud Tacitum ita adhibitur particula, ut in formula illa rhetorica, quae reprehensio vocatur, ironiam quandam efficiat, cuius modi exempla apud scriptores aureae latinitatis non pauca inveniuntur; ut apud Ciceron. de divinat. II, § 81. „Quasi vero quidquam sit tam valde, quam nihil sapere, vulgare, aut quasi tibi ipsi in iudicando placeat multitudo", et ad Quint. Frat. I, 1, 87. „Quasi vero ego id putem, non te aliquantum negotii sustinere". Ille autem usus, quem in Hist. I, XVII, 5 cognovimus, ut per particulam introduceretur simile cum veritate rerum congruens a sermone Ciceroniano alienus esse videtur, nam quae apud eum simili modo comparata sunt exempla, tamen differunt a prolatis, absente verbo. Cf. Cic. ad Famil. IX, 16 *); de nat. Deor. I, § 102.

Restat ut eos nunc tractemus locos, quibus a particula nullum pendet verbum quibusque similia „per brevitatem" et quaecunque ex hac primaria vi derivatae sint significationes, adferuntur. Atque multo maiorem, quam prioris, huius generis copiam exemplorum legimus.

Atque primum ad eam locorum seriem transgrediamur, quibus vis primaria comparativa servata esse videtur quibusque simile introducitur.

Hist. I, XVI, 6. „Sub Tiberio et Gaio et Claudio (is) unius familiae quasi hereditas fuimus".

Usum admodum audaciorem, quo vocula ad res vel singulas personas (servos) pertinens in omnem populum transfertur, adiectione particulae „quasi" mitigavit scriptor.

Hist. I, LXXIV, 6. „Paria Vitellius ostentabat', primo mollius, stulta utrimque et indecora simulatione, mox quasi rixantes stupra et flagitia in vicem obiectavere, neuter falso".

Cum Vitellius a legionibus Gallicis imperator factus esset cumque iam legionum agmen, hibernis adhuc Alpibus transduxisset, Otho vero usque ad illud temporis momentum in urbe mansisset, uterque imperator alterum litteris blandis commovere conatus est, ut imperio se abdicaret. Sed cum parum processisset res, quia neuter cedere voluit, simulata

*) Cf. Madwig, opp. acad. I, pg. 494, adnot. 3.

per litteras benevolentia in apertum mutata est odium, ita ut, quasi rixantes stupra et flagitia in vicem obiectarent. — Quae sit significatio verbi „rixandi“ ex ipso Tacito dilucide apparet, si confers Hist. I, 64 „Iurgia primum, mox rixa inter Batavos et legionarios — — — prope in proelium exarserunt“; Hist II, 27 „Corrupta iurgiis aut rixis disciplina“; Dial. XXVI „Cassius Severus — — — non pugnat sed rixatur“.

Obtinet vis vocabuli, ut loci enumerati docent, medium locum inter iurgium et proelium vel pugnam, ita ut respondeat nostri sermonis voculae: rauferei *). Atque cum Tacitus hoc vili et ignobili vocabulo uteretur, ut significaret inimicitias ortas inter duos imperatores illius regni, quod totum orbum terrarum sibi subiecisset, ipse bene sensit audacem esse translationem, qua de re, addita particula „quasi“ ipse eam excusavit mitigavitque, simili modo, quo nos dicimus: „so zu sagen“. Eadem igitur cum vi particula posita esse videtur ac si illud **): „ut sic dixerim“ (Dial. XXXII: paene dixerim), quod ubique apud Tacitum reperitur pro „ut ita dicam“, formula usitatissima latinitatis aureae.

Annal. I, LXVIII, 8. „Igitur orta die proruunt fossas, iniiciunt crates, summa valli prensant, raro super milite et quasi ob metum defixo“.

Simili modo, quo prior, hic quoque comparatus est locus. Servit enim particula, cuius adiectione statim cognoscimus, quo modo verba Tacitus comprehendi voluerit, ad leniendam similis audaciam: „gleichsam wie von furcht festgebannt“.

Huc quoque pertinet locus, quem legimus: Annal. II, LXXXII, 21. „Et populus quasi rursum ereptum acrius doluit“ (Germanicum). Deinde: Annal. III, XXXXVI, 16. „Quidam (de ferratis dicitur) trudibus aut furcis inertem molem prosternere, iacentesque nullo ad resurgendum nisu, quasi exanimes linquebantur“. Ut rem accuratissime dilucidissimeque depingeret scriptor, simili usus est, quod ipse veritati

*) Cf. Döderlein, lat. Syn. V, pg. 22; III, pg. 250.
**) Cf. Wölfl., Phil. XXVI, pg. 139.

non prorsus respondere bene scivit. Non enim omnes ferrati, qui ceciderant, exanimes erant, sed quasi exanimes sine motu et nullo ad resurgendum nisu iacebant.

Eodem modo audacis similis usus particulae adiectione lenitur: Annal. VI, XIII, 20. „Perinde in foro, in convivio, quaqua de re locuti incusabantur, ut quis praevenire et reum destinare properat, pars ad subsidium sui, plures infecti quasi valetudine et contactu".

Annal. XII, VII, 11. „Adductum est quasi virile servitium".

Servitium ab Agrippina Romanis impressum virile dici poterat, respectu habito ad modum et rationem, quibus exercebatur, per *μεταβολήν* audaciorem sed efficaciorem.

Annal. XIII, XVIII, 3. „Nec defuere, qui arguerent viros gravitatem adseverantes, quod domos villas id temporis quasi praedam divisissent".

Imago desumpta a venatione vel a bello ad partitionem domuum et villarum translata per „quasi" introducta est.

Annal. XIII, XXI, 14. „Nunc per concubinum Atimetum et histrionem Paridem quasi scaenae fabulas composuit".

Ut indicaret Agrippina vanas et fictas esse accusationes a Domitia sibi obiectas cum fabulis scaenae compositis, re autem vera non existentibus eas comparavit.

Annal. XIII, XXXV, 6. „Satis constitit fuisse in eo exercitu veteranos, qui non stationem, non vigilias inissent, vallum fossamque quasi nova et mira viserent".

Videtur „quasi" hoc loco proxime ad significationem particulae paene accedere.

Annal. XIII, XXXXI, 17. „Quod moenibus cingebatur, repente ita atra nube coopertum fulgoribusque discretum est, ut quasi infensantibus deis exitio tradi crederetur".

Profertur per particulam contentio quaedam audax et eius modi, de cuius veritate utrum dubitaverit Tacitus necne, difficile est diiudicare *).

Similiter comparatus est locus, qui sequitur: Annal. XIV, V, 2. „Noctem sideribus inlustrem et placido mari quietam, quasi convincendum ad scelus di praebuere".

*) Cf. Nipperd.; Praef. ad Annal. pg. XVII et XVIII.

Annal. XIV, XXX, 5. „Druidaeque circum, preces diras sublatis ad coelum manibus fundentes, novitate aspectus percnlere militem, ut quasi haerentibus membris immobile corpus vulneribus praeberent“.

Poëticus quidem color huic simili inesse videtur. (Cf. Vergilianum illud: vox fauciqus haesit).

Annal. XIV, XXVII, 13. „Sed ignoti inter se, diversis manipulis, sine rectore, sine adfectibus mutuis, quasi ex alio genere mortalium repente in unum collecti, numerus magis quam colonia“.

Hoc quoque loco audaciore scriptor usus est translatione.

Annal. XIV, XXXII, 14. „Quasi media pace incauti multitudine barbarorum circumveniuntur“.

Re vera, commotis ad rebellationem Trinobantibus aliisque gentibus, quae nondum servitio fractae erant, bellum exarserat, quod cum pace tum solum comparare potuit Tacitus, si respectum habuit ad incuriam et socordiam expugnatorum.

Annal. XIV, LIX, 11. „Coram Pelagone spadone, quem Nero centurioni et manipulo, quasi satellitibus ministrum regium, praeposuerat“.

Simile cum ironia quadam adiectum est.

Annal. XV, XXXVII, 2. „Ipse, quo fidem adquireret nihil usquam perinde laetum sibi, publicis locis struere convivia, totaque urbe quasi domo uti“.

Annal. XV, LXXII, 4. „Tum, quasi gesta bello expositurus, vocat senatum et triumphale decus Petronio Turpiliano consulari — — — — tribuit“.

Ingentem in urbe perpetratam cladem „bellum“ vocare, profecto summum audaciae fastigium erat. Sed ironice dictum est.

Annal. XVI, XXV, 7. „Aspiceret populus virum morti obvium, audiret senatus voces quasi ex aliquo numine supra humanas“.

Dialog. XII, 9. quo loco Halmius lacunam statuit ante „sanguinantis“ „quasi“ vel aliud quidquam interponere, necesse non videtur. Omnia, quae proxime contulimus exempla in eo convenerunt, quod simile quoddam vel imago eis contine-

batur, quibus Tacitus ut adiumentis et instrumentis, quibus apertius diceret et ante oculos poneret, quae legentium animis imprimi voluit, usus est. Sed cum talibus artibus rationes cogitationesque suas clariores et, ut ita dicam, plasticiores exponeret, ipse bene intellexit, similia et imagines, quae adhibuerit ad comparationem efficiendam non omni ex parte congruere cum rebus, vel personis, quales re vera sunt, neque, nulla cum sensus commutatione pro eis vel in loco earum collocari et comprehendi posse. Qua de re, ut prohibeat, quominus rem ipsam rei illius, quae ad comparationem tantum servit rationemque apertiorem reddit, ex omni parte parem esse putemus, addidit particulam „quasi", qua imagines et similia leniat eaque certis solum sub conditionibus recta habenda esse, indicet, quem ad finem praeter ceteras particulas comparativas, voces quoque, „ut ita dicam", „ut sic dicam", „ut ita dixerim", „si dicere licet", et quae sunt similia, sermoni interponuntur. Hic igitur usus cum illo, qualis locis exstat, quibus per particulam falsa species indicatur (quos ad locos nunc transgrediamur) convenit eo, quod in utroque genere simile quoddam per particulam additur ab ipsa rerum vel personarum veritate diversum. Discrepantia vero in eo posita est, quod in exemplis, quae postea adferemus falsa omnino species prorsus a veritate aliena particulae vi efficitur, in illis autem, quae iam protulimus, non omnis negatur veritas sed indicatur, ea, quae per particulam introducta sint, certis habitis rationibus certisque circumdatis finibus vera esse. Quod discrimen vernaculo quoque sermone statuimus et servamus, si primum significationis genus per „als ob", secundum per „etwa wie", „man möchte sagen", perque similes reddimus formulas. — Ernesti, Orelli, Döderlein, Dübner, qui Annal. XIV, LII, nostra ex sententia „quasi" falso ad solam vocem „principem" retulerunt atque particulam explicaverunt per „prope", „propemodum", vel „paene", nullum addiderunt locum ex Taciti scriptis haustnm, quo hanc sententiam confirmarent: Attamen non desunt, nam Annal. I, LXVIII, 8; III, XXXXVI, 16; XII, VII, 11; XIII, XXI, 14; XIII, XXXV, 6 optime, hac particulae significatione accepta et adhibita explicari posse videntur. Neque

hic, quem diximus, usus per artes speciosiores quam veriores indagatus est, sed ex ipsa particulae vi et natura facile deducitur. Nam cum saepius imaginem introducat, quae, etsi non plane congruit, tamen etiam non prorsus abhorret a rerum veritate, sed interdum levi solum significationis discrimine a re ipsa ad quam illustrandam posita est, differt, facile est intellectu, nonnunquam „quasi" cum „prope" vel „paene", sine ullo boni sensus detrimento commutari posse. Vero etiam usu linguae latinae haec commutatio particularum similium negata non est*). Nam quis nescit, ut exemplis utar, „facile" pro „sine dubio", „minus" pro „parum", nullo sensus discrimine, nisi leviore fortasse vi posita esse. Cf. Cicer., de Divin. II, 42; Nepos VII, 7. — Ceterum illam, quam statuimus, particulae vim apud alios quoque scriptores invenimus: Cicer., Acad. II, 26. „Quid potest esse sole maius? quantulus nobis videtur? mihi quidem quasi pedalis"; Sallust., bell. Iug. XXVIII. „Sed ex eo medio quasi collis oriebatur, in immensum pertinens" (quem ad locum conferas Kritzium).

Nunc ad eos transgredi liceat locos, quibus per particulam „quasi" similitudo quaedam ficta introducitur.

Dialog. XXXII, 22. „Ut, quae olim omnium artium domina pulcherrimo comitatu pectora implebat, nunc circumcisa et amputata, sine apparatu, sine honore, paene dixerim sine ingenuitate, quasi una ex sordidissimis artificiis discatur".

Conspicuum est, Messalam eloquentiam non re vera inter sordidissima artificia numerare, sed „species solum falsa, inquit, quam praebet ea est, ut credamus fere sordidiorem eam esse artem".

Germ. VII, 6. „Ne verberare quidem nisi sacerdotibus permissum, non quasi in poenam nec ducis iussu, sed velut deo imperante".

Tacitus verecundatus est verberationem solis sacerdotibus permissam, quam neque ut sibi aut laesis legibus**), quas dedissent, ultionem pararent neque ut ducis iussis parerent sed „velut deo imperante", exercuerunt nudo poenae vocabulo

*) Cf. Ramshorn, lat. Gr. § 203, 1.
**) Cf. Döderlein, lat. Syn. V, pg. 250.

vocare. Sensit enim scriptor re vera hanc verberationem „poenam“ dici non posse sed externam solam „poenae“ speciem exhibere, quam ob rem „quasi“ particulam addidit.

Hist. I, XXXXV, 9. „Celsum, consulem designatum et Galbae usque in extremas res amicum fidumque, ad supplicium expostulabant, industriae eius innocentiaeque, quasi malis artibus infensi“.

„Erbittert, als ob es schlechte künste wären“. Sane fides erga principem constanter servata summa cum iniuria inter malas artes habebatur.

Hist. III, XXV, 3. „Gradum inferunt quasi recentibus auxiliis aucti“.

„Als ob sie durch frische hülfstruppen verstärkt wären“. Iure ita nos haec vertisse verba prima enunciatione capitis probatur: „vagus inde, an consilio ducis subditus rumor, advenisse Mucianum, exercitus in vicem salutasse“.

Annal. I, XXIV, 10. „Druso propinquanti quasi per officium obviae fuere legiones“.

„Die legionen kamen dem nahenden Drusus wie zur eh renbezeugung entgegen“.

Nihil nisi simulatio obsequii erat, nam ex primis proximi capitis verbis intelligimus quales re vera fuerint in Drusum animi militum, quippe qui ipsa vi, ut quae vellent, impetrarent, non abhorrebant cum, postquam vallum introiit, portas stationibus firmarent, globos armatorum certis castrorum locis opperiri iuberent, ceteri tribunal ingenti agmine circumvenirent.

De vocabulo officii significatione eadem, quae hoc loco ei inest, praedita conferas: Agric. XXXX; Hist. I, LXXIV; Annal. VI, L *). Döderleinius hunc usum observasse non videtur, cum dicat: „die officia als gefälligkeiten oder freundschaftsdienste setzen ein gleichheitsverhältniss zwischen geber und empfänger voraus“; et postea: „dass sie (merita) wie die officia einen al pari stehenden empfänger voraussetzen“.

Annal. II, LXIII, 15. „Et Maroboduus quidem Ravennae habitus, si quando insolescerent Suebi, quasi rediturus in regnum ostentabatur“.

---

*) Cf. Döderlein, lat. Syn. V, pg. 353.

Sed erat falsa minae species, numquam enim rediit.

Annal. II, LXVIII, 9. „Mox Remnius evocatus, priori custodiae regis adpositus, quasi per iram gladio eum transigit". „Als ob er von zorn übermannt werde".

Tacitum non credidisse, evocatum ira superatum Vononem interfecisse ex verbis quae sequuntur dilucide apparet: „unde maior fides conscientia sceleris et metu indicii mortem Vononi inlatam".

Annal. III, XXXI, 5. „Eius anni principio Tiberius quasi firmandae valetudini in Campaniam concessit".

„Unter dem vorgeben, seine Gesundheit zu kräftigen".

Sed malam valetudinem obtentui modo haberi ex additione verborum: „longam et continuam absentiam paulatim meditans, sive ut amoto patre Drusus munia consulatus solus impleret", manifestum est.

Annal. III, LXX, 5. „L. Ennium equitem Romanum, maiestatis postulatum, quod effigiem principis promiscum ad usum argenti vertisset, recipi Caesar inter reos vetuit, palam aspernante Ateio Capitone quasi per libertatem".

Quis crederet hominem de quo Tacitus in eiusdem libri capite LXXV scripsit: „Capitonis obsequium dominantibus magis probatur"; atque in capite nostro: „Capito insignitior infamia fuit, quod humani divinique, iuris sciens egregium publicum et bonas domi artes dehonestavisset", vero libertatis studio et amore ut impugnaret principis sententiam adductum esse!

Annal. IV, XXIII, 12. „Quia Caesar post res a Blaeso gestas quasi nullis iam in Africa hostibus, reportari nonam legionem iusserat".

„Als ob es in Afrika keine feinde mehr gäbe". Quo modo res se habuerit ex III, LXXIV, discimus, quo loco narratur, regem Tacfarinatem, fratre eius capto regressum esse, *relictis per quos resurgeret bellum;* nihilo tamen minus Tiberium *pro confecto* id interpretatum Blaeso tribuisse, ut imperator a legionibus salutaretur.

Annal. IV, LI, 14. „Suorum atque hostium ignoratio et montis anfractu repercussae velut a tergo voces adeo cuncta

miscuerant, ut quaedam munimenta Romani quasi perrupta omiserint".

Falsa species orta ex tenebrarum incerto Romanos pellexit, ut crederent, quaedam munimenta, quae re vera integra nondumque expugnata erant, perrupta ab hostibus esse.

Annal. IV, LXVIII, 21. „Ac iam ultro Sabinus quaerere Latiarum, ventitare domum, dolores suos quasi ad fidissimum deferre".

Infelix Sabinus illum hominem fidissimum esse amicum putabat, qui foedissima consulatus cupidine incensus, ad quem nisi voluntate Seiani, quae sceleribus tantum quaerebatur, pervenire non poterat, ad incautos contra principem sermones eum illiciebat, ex quibus, testibus comparatis, accusationem componeret.

Annal. V, II, 4. „Honoresque memoriae eius a senatu large decretos quasi per modestiam imminuit".

Virtutem modestiae Tiberio certe nemo attribuit neque haec eum, ut imminueret Iuliae Augustae decretos honores, impulit, sed, ut fere omnes tyranni, invidia vexatus, ne praeter ipsum alii quoque honore ornarentur, anxie efficere conatus est, ut angustissimis finibus patrum decretum coërceret.

Annal. VI, VIII, 1. „At Romae principio anni, quasi recens cognitis Liviae flagitiis ac non pridem etiam punitis, atroces sententiae dicebantur".

Additis illis verbis „ac non pridem etiam punitis", docemur, quo nam modo priora illa „quasi recens cognitis Liviae flagitiis", accipienda sint.

Annal. VI, XXX, 11. „Vocesque deficientis (Drusi) adiecerat, quis primo (alienationem mentis simulans) quasi per dementiam funesta Tiberio, mox, ubi exspes vitae fuit, meditatas compositasque diras imprecabatur".

Cum Nipperdeio plane consentio in eo, quod credam verba uncis inclusa, a lectore, qui desiderasset explicationem verborum „quasi per dementiam", interposita esse. Sanae loci explicationi certe repugnant. Tacitus dicere voluit: Drusum primum tam concitata et iracunda verba in Tiberium effudisse, ut credidisses eum insanire. Illi „quasi per dementiam" oppositum est: „meditatas compositasque diras im-

precabatur". Conf. Annal. III, XXXI, et Sallust., Catil. XXXXII.

Annal. VI, XXXXV, 6. „Eodem ut die vel noctis interiectu litteris consulum rescriberet, quasi aspiciens undantem per domos sanguinem aut manus carnificum".

Sola cogitatione depicta sunt ea, quae se videre fingebat.

Annal. XII, XXXXI, 20. „Commotus his quasi criminibus optimum quemque educatorem filii exilio aut morte adficit".

Apud principem, cui Britannicus tam odiosus fuit, sane criminibus (scilicet falsis) opus non erat, quibus commoveretur ut invidiae suae satisfaceret.

Annal. XIII, XXVII, 16. „Nec multo post ereptus amitae libertus Paris quasi iure civili, non sine infamia principis, cuius iussu perpetratum ingenuitatis iudicium erat".

Verba exstrema demonstrant, summa cum iniuria principis facinus iure civili defensum esse.

Annal. XIV, VII, 21. „Ipse audito venisse missu Agrippinae nuntium Agerinum, scaenam ultro criminis parat, gladiumque, dum mandata perfert, abiicit, inter pedes eius, tum quasi deprehenso vincla iniici iubet, ut exitium principis molitam matrem et pudore deprehensi sceleris sponte mortem sumpsisse confingeret".

Nemo dubitabit, quin hoc loco nihil, nisi falsa species per particulam indicetur.

Annal. XIV, X, 10. „Ipse diversa simulatione maestus et quasi incolumitati suae infensus ac mortis parentis inlacrimans".

Simulationem fuisse ipse Tacitus adnotavit.

Annal. XIV, XVIII, 8. „Quos regis Apionis quondam avitos (agros) et populo Romano cum regno relictos proximus quisque possessor invaserant, diutinaque licentia et iniuria quasi iure et aequo nitebantur".

„Als ob es so recht und billig wäre".

Nam re vera numquam, qui per multos annos contra ius possiderent Apionis agros hac ex illegitima possessione quidquam iuris deducere poterant.

Annal. XIV, XXII, 2. „Igitur quasi iam depulso Nerone, quisnam deligeretur anquirebant".

Vaga solum et falsa stulti vulgi opinio erat, nam post tempus quo sidus cometes effulserat per decem annos Nero regnavit.

Annal. XIV, XV, 21. „Ii dies ac noctes plausibus personare formam principis vocemque deum vocabulis appellantes; quasi per virtutem clari honoratique agere".

Nam quae a ceteris foedissima adulatio et servile obsequium vocabatur, a Nerone loco virtutis habebatur, ita ut Augustiani variis acceptis praemiis clari honoratique vitam degerent.

Annal. XIV, XXXI, 17. „Ad hoc templum divo Claudio constitutum quasi arx aeternae dominationis aspiciebatur".

Falso templum ut arcem aeternae dominationis aspectum esse verba docent, quae legimus cap. XXXII: „templum, in quo se miles conglobaverat, biduo obsessum expugnatumque".

Annal. XIV, LXII, 8. „Quia malorum facinorum ministri quasi exprobrantes aspiciuntur."

Non ausus est scriptor adseverare veritatem huius sententiae communis, ita ut diceret, malorum facinorum ministros exprobrantes esse, sed saepissime in eis oriri speciem falsam, qua exprobrantes videantur, adiectione particulae confirmavit.

Annal. XV, VIII, 10. „Reduxit exercitum composuitque ad Caesarem litteras quasi confecto bello, verbis magnificis rerum vacuas".

Profecto bellum confectum non erat, ut ex capitibus, quae sequuntur, intelligitur, cum etiam in cap. XVIII scriptor de „integro adhuc bello", loquatur.

Annal. XV, XXXXV, 13. „Ferebatur Seneca, quo invidiam sacrilegii a semet averteret, longinqui ruris secessum oravisse, et postquam non concedebatur, ficta valetudine, quasi aeger nervis, cubiculum non egressus".

Seneca, metu adductus, ne cogeretur sacrilegii particeps fieri, morbum finxit, quo re vera non vexabatur.

Annal. XV, L, 16. „Quem — — fatigabatque crimina-

tionibus ac saepe in metum adduxerat quasi adulterum Agrippinae et desiderio eius ultioni intentum".

Cum Tacitus nullo loco de Faenio Rufo ut adultero Agrippinae et post interfectionem eius desiderio ultioni intento quidquam nobis tradiderit, has criminationes eo consilio compositas esse a Tigellino, ut aemulum ex principis favore expelleret, iure ex Taciti verbis concludere licet.

Annal. XV, LXV, 4. „Tradereturque imperium Senecae, quasi insontibus claritudine virtutum ad summum fastigium delecto".

Constat ex verbis primis capitis: „Fama fuit Subrium Flavum cum centurionibus occulto consilio, neque tamen ignorante Seneca, destinavisse, ut post occisum opera Pisonis Neronem, Piso quoque interficeretur", eos insontes non fuisse.

Annal. XVI, III, 2. „Gliscebat interim luxuria spe inani, consumebanturque veteres opes quasi oblatis quas multos per annos prodigeret".

Spes collocata in imagine nocturna immensam vim auri indicante, fallax erat, quod fine capitis probatur.

Annal. XVI, XXIII, 11. „Tempus damnationi delectum, quo Tiridates accipiendo Armeniae regno adventabat, ut ad externa rumoribus intestinum scelus obscuraretur, an ut magnitudinem imperatoriam caede insignium virorum quasi regio facinore ostentaret".

Priusquam ad exstremam partem dissertationis de particula „quasi" institutae pervenimus, unius antea loci explicatione opus est, qui peculiare quoddam exhibet. Legitur in Dial. XIII, 9. „Testis ipse populus (securum et quietum vatum secessum apud ipsum notitia non caruisse), qui auditis in theatro Vergilii versibus surrexit universus et forte praesentem spectantemque Vergilium veneratus est sic quasi Augustum".

Hoc enim loco non sat est similitudinem per particulam indicatam statuere, quia re vera poetam eodem modo, quo Augustum populus veneratus est. Cf. Hist. I, XVII, 5.

Eadem igitur vi, qua „qemadmodum" scriptor usus est particula. Addere liceat hunc unicum esse locum, qui apud Tacitum invenitur, quo demonstrativum „sic" particulae

„quasi" respondeat. Sed confer. Hist. I, LXXXX, 15. Conf. quoque: Cicer. ad Famil. IX, 16, 2; de nat. Deor. I § 102; Cat. Maior. § 71.

Iam supra demonstravimus particulam coniunctionis partes agentem, saepius vim comparativam, qua aut a veritate rerum vel personarum plane abhorrentia aut non omnibus a partibus cum eis congruentia introduceret prorsus amisisse eamque sibi comparasse significationem, qua rerum veritas rectaque causa, ex qua factum aliquid oriretur, indicaretur. Nunc etiam probare conemur inter exempla, quibus simile per brevitatem compositum apparet, complura esse, quibus ut eandem vim attribuamus, rerum verborumque contextu cogimur. Atque neque in scriptis minoribus neque in Historiis ullum huius usus invenies exemplum; occurrit hic usus solum in Annalibus eo tempore conscriptis, quo Tacitus maxime excoluit secumque constituit stilum sibi peculiarem, suae naturae consentientem, ab aliis discrepantem.

Annal. IV, XXII, 9. „Quod perinde creditum quasi principis monitu ob amicitiam Augustae cum Urgulania".

Neque pro certo statuere possumus re vera principem monuisse Urgulaniam, ut mitteret nepoti pugionem, neque negare ausimus. Sed cum ipsa Taciti oratio anceps sit, legenti permissum est, sententiam sibi confingere. Equidem puto, re vera principem, amicitia Augustae cum Urgulania commotum, permisisse, ut daret reo pugionem, quo damnationem instantem libera morte effugeret.

Annal. VI, III, 5. „Huic (Pomponio) a C. Considio praetura functo obiectabatur Aelii Galli amicitia, qui punito Seiano in hortos Pomponii quasi fidissimum ad subsidium fugisset".

Liceat vertamus orationem obliquam in directam. Accusator loquitur: Aelius Gallus, punito Seiano in hortos Pomponii perfugit. Et cur hunc ad virum, cur non ad alium se contulit? Haec interroganti respondet in eadem enunciatione: quasi ad subsidium fidissimum, quia apud Pomponium sibi fidissimum subsidium paratum esse pro certo putavit. Interesse sane debebat, ut felicem adipisceretur successum, accusatoris, quam poterat certissimam exprimere sententiam ac-

cusationemque claris circumscribere verbis. Qua de re ei non licebat, sua culpa scrupulum iudicum aminis iniicere, utrum fidissimum re vera fuisset subsidium nec ne, quod factum esset, si „quasi“ attribueremus significationem „als ob“. Immo respondet nostro loco graecae particulae „ὡς“, „quasi“ particula: *ὡς εἰς βεβαιότατον ἄσυλον.*

Annal. VI, XVII, 14. „Primusque Messala Corvinus eam potestatem et paucos intra dies finem accepit, quasi nescius exercendi“.

Jam *) verba, quae sequuntur: „tum Taurus Statilius, quamquam provecta aetate, egregie toleravit“ nos monebunt ne putemus, Messalam simulata ex causa finem praefecturae urbi accepisse. Accedit quod Hieron. chronic. Euseb. Ol. 188. 4, memoriae tradidit hac de re: „sexto die magistratu se abdicavit incivilem potestatem esse contestans“. Respondet igitur locus voculae graecae: „*ὡς ἄπειρον ὄντα*“, „weil er sein amt nicht auszufüllen vermochte“. Cfl. Krüger, gr. Gr. 69, 63, 3.

Annal. XII, XXXXVII, 9. „Id foedus arcanum habetur, quasi mutuo cruore sacratum“.

„Weil es durch die vermischung des bluts beider geheiligt war“. Nam antecedunt verba: levi ictu cruorem eliciunt atque invicem lambunt.

Annal. XII, XXXXVII, 20. „Et Radamistus, quasi iurisiurandi memor, non ferrum, non venenum in sororem et patruum expromit, sed proiectos in humum et veste multa gravique opertos necat“.

Consilio, (*ὡς μνήμων*) quia iurisiurandi quo promiserat, non ferrum, non veneno vim se adlaturum non oblitus erat Radamistus alia via sororem et patruum interfecit.

Annal. XIII, XVIII, 8. „Super ingenitam avaritiam undique pecunias quasi in subsidium corripiens“.

Agrippina Neroni vehementer irata non simulavit tantum, se subsidium consequi, sed omnibus artibus contra eum pugnavit reque vera subsidium sibi comparare studuit, quo, data occasione contra filium uteretur.

---

*) Cf. Wölfl., Philol. XXIV, pg. 121.

Annal. XIII, XXXVII, 10. „Nam Pharasmanes interfecto filio Radamisto quasi proditore, quo fidem in nos testaretur".

Nulla nos prohibere potest causa, quominus putemus Pharasmenem filium interfecisse, quia re vera proditor erat, maxime si respicimus ad Annal. XII, XXXXIV, 11. „Igitur Pharasmenes iuvenem potentiae promptae et studio popularium accinctum, vergentibus iam annis suis metuens, aliam ad spem trahere et Armeniam ostentare etc."

Annal. XIII, XXXXIV, 15. Codic. lectio: „et quaestim census" corrupta est. J. Gronovius coniecit: et quasi incensus; Bekker, Halm, Haase, Nipperdey: ex qua incensus. Utraque emendatio bonum praebet sensum; sed nescio quanam via in priore illud „et" bene explicari possit. Cf. Wölfl. Phil. XXIV, p. 122.

Annal. XIII, LIV, 22. „Quod comiter a visentibus exceptum, quasi impetus antiqui et bona aemulatio".

„Weil es ein ungestüm alten schlages und edler ruhmesneid war". — Narrat Tacitus legatos Frisiorum, Pompei theatrum ingressos, cum animadvertissent quosdam cultu externo in sedibus senatorum sedentes cumque audissent earum gentium legatis id honori datum, quae virtute et amicitia Romana praecellerent degressos esse et inter patres consedisse.

Annal. XIV, LXV, 2. „Eodem anno libertorum potissimos veneno interfecisse creditus est, Doriphorum quasi adversatum nuptiis Poppaeae, Pallantem quod immensam pecuniam longa senecta detineret".

Hoc est exemplum quod sententiam nostram egregium in modum affirmare potest, nam quis est, qui dubitet quin illud „quasi" in primo enunciationis membro positum idem significet, quod particula „quod" in secundo. Cf. Wölfl. Phil. XXIV, pg. 120.

Annal. XV, X, 9. „Et tunc relictis hibernis non fossam neque vallum sibi, sed corpora et arma in hostem data clamitans, duxit legiones quasi proelio certaturus".

Ex omni verborum et rerum contextu conspicuum est, Paetum simulatorem non fuisse sed re vera secum constituisse, ut certaret. Propositum quidem amisso centurione et paucis militibus ad effectum non adduxit.

Annal. XV, XV, 3. „Interim flumini Arsaniae (is castra praefluebat) pontem imposuit, specie sibi illud iter expedientis, sed Parthi quasi documentum victoriae iusserant".

Hoc quoque exemplum inter manifestissima habendum est, nam nemo non videbit, necessariam esse oppositionem inter „specie" prioris membri et inter „quasi" secundi. Speciei autem opposita est rerum veritas. Reddendus est locus nostra lingua: „zum beweis ihres sieges"; graece: ὡς ἔλεγχον τῆς νικῆς. Cf. Wölfl., Philol. XXIV, pg. 120.

Annal. XV, XXXIII, 5. „Non tamen Romae incipere ausus Neapolim quasi Graecam urbem delegit".

„Weil es eine griechische stadt war". Acriore in dies cupidine vexatus Nero promiscas scaenas frequentandi inde initium fecit, ut hac in urbe approbatus in Achaiam facilius transgredi posset.

Annal. XV, LVIII, 5. „Volitabantque per fora, per domos, rura quoque et proxima municipiorum pedites equitesque, permixti Germanis, quibus fidebat princeps quasi externis".

Cum detecta nobilissimorum Romanorum coniuratione Neronis pavor magis magisque cresceret cumque omne nomen Romanum metueret, non diutius Romanis militibus sed Germanis fidebat: „weil sie ausländer waren".

Annal. XVI, VIII 11. „Qui (Volcatius Tullinus ac Marcellus Cornelius senatores et Calpurnius Fabatus eques Romanus) appellato principe instantem damnationem frustrati, mox Neronem circa summa scelera distentum, quasi minores evasere".

„Weil sie unbedeutender waren". Nam si maiore potentia auctoritateque floruissent Nero certe eorum oblitus non esset.

„Annal. XVI, XVIII, 13. „Unde invidia Tigellini quasi adversus aemulum et scientia voluptatum potiorem".

Re vera is vir, qui inter paucos familiarium Neroni adsumptus erat, elegantiae arbiter, dum nihil amoenum et molle affluentia putavit princeps, nisi quod ei Petronius approbavisset, gravissimus Tigellini aemulus fuit.

Iure putare videmur tot exemplis allatis usum particulae, quem diximus, apud Tacitum diu parum intellectum, diutius negari non posse.

Liceat sub finem huius quaestionis nonnullos componere indices, ex quibus cognoscatur dilucide qualis particulae usus apud Tacitum fuerit. Quibus ex numeris discitur, Tacitum hanc particulam in scriptis minoribus et Historiis rarius, usitatius autem in Annalibus adhibuisse.

Qua ex re praeter alias multas, testimonium recte haurimus, Tacitum scribendo stilum suum percoluisse, alioque genere dicendi scribendique iuvenem, alio virum, longiore temporis spatio interiecto, usum esse neque nisi per complures variosque transitus gradusque, quorum vestigia ex scriptis minoribus et Historiis manifesto apparent, ad id perfectionis absolutionisque cacumen pervenisse, quod in sermone eius, qualis in Annalibus exstat, summa cum admiratione legimus. Falsum igitur esset, si exemplorum numeris commoti putaremus in scriptis minoribus et Historiis longe minorem comparationis exemplorum copiam adhibitam esse quam in Annalibus, cum res ita se habeat, ut quo latiores fines particula „quasi“ occupat, eo magis simillimarum particularum, in primis „velut“ usus circumcidatur eam solam ob causam, quod illo tempore, quo Annales composuit scriptor magis quam ceteras „quasi“ particulam magisque quam antea adamavit.

Tabella I.

Inventur omnino particula:

Dialog.	Agric.	Germ.	Hist. I.	III	Annal. I	II	III	IV	V	VI
XIII, 9	Nusquam	VII, 6	XVI, 6	XIX, 3	XXIV, 10	XXXVI, 7	XXXI, 5	XIX, 10	II, 4	III, 5
XXXII, 22			XVII, 5	XXV, 3	XXXV, 14	LXIII, 15	XXXXVI, 16	XXII, 9		VIII, 1
XII, 9?			XXXX, 7		LXVIII, 8	LXVIII, 9	LXX, 5	XXIII, 12		XI, 3
			XXXXV, 9			LXXXII, 21		LI, 14		XIII, 20
			LXXI, 9					LXVIII, 21		XVII, 14
			LXXIV, 5							XXX, 11
			LXXXX,15							XXXXV, 6
										LVI, 13
3 ×		1 ×	7 ×	2 ×	3 ×	4 ×	3 ×	5 ×	1 ×	8 ×
			9 ×		24 ×					

XI	XII	XIII	XIV	XV	XVI
Nusquam	VII, 11	XVIII, 3	IV, 17	VIII, 10	III, 2
	VII, 14	XVIII, 18	V, 2	X, 9	VIII, 11
	XXXVIII, 6	XVIII, 11	VII, 21	XV, 3	XVIII, 13
	XXXXI, 20	XXI, 14	VIII, 1	XXXIII, 5	XXIII, 11
	XXXXVII, 9	XXI, 26 (2 X)	X, 10	XXXVII, 2	XXV, 7
	XXXXVII, 20	XXV, 14	XV, 21	XXXXV, 13	
	LII, 2	XXV, 16	XVIII, 8	L, 16	
		XXVII, 16	XXII, 2	LIII, 5	
		XXXV, 6	XXVII, 13	LVIII, 5	
		XXXVII, 10	XXX, 5	LXV, 5	
		XXXVIII, 19	XXXI, 7	LXXI, 12	
		XXXXI, 17	XXXI, 17	LXXII, 4	
		XXXXIV, 15	XXXII, 2		
		XXXXVII, 16	XXXII, 14		
		LIV, 22	LI, 5		
			LII, 7		
			LVI, 14		
			LIX, 11		
			LXII, 8		

Tabella II.

Pendet a particula verbum finitum:

Hist. I	III	Annal. I	II	IV	VI	XII	XIII	XIV	XV
XVII, 5	XIX, 3	XXXV, 14	XXXVI, 7	XIX, 10	LVI, 13	VIII, 14	XVIII, 11	IV, 17	LIII, 5
XXXX, 7						XXXVIII, 6	XXI, 26	VIII, 1 P	LXXI, 12
LXXI, 9						LII, 2	XXV, 14 P	XXXI, 7 P	
LXXXX, 15							XXXVIII, 19	XXXII, 2	
							XXXXVII, 16 P	LI, 5	
								LII, 7	
								LVI, 14	

26 ×

Omnibus locis, quattuor, quibus Coniunctivus Plusquamperfecti invenitur (per P significatur) exceptis, Coniunctivus Imperfecti exstat.

Tabella III.

Falsam speciem quasi indicat:

A. Coniunctionis partes agens :

Cum Imperf.									Cum Plusquamperf.	
Hist. I	III	Annal. II	IV	VI	XII	XIII	XIV	XV	Aunal. XIII	XIV
XXXX, 7 LXXI, 9 LXXXX, 15	XIX, 3	XXXVI, 7	XIX, 10	LIII, 13	VII, 14 XXXVIII, 6	XXI, 26 XXXVIII, 19	IV, 17 XIII, 1 XXXII, 2 LI, 5 LVI, 14	LIII, 5	XXV, 14 XXXXVII, 16	XXXI, 7

20 ×

B. Particula sine verbo finito posita.

Hist. I	III	Annal. I	II	III	IV	V	VI	XII	XIII	XIV	XV	XVI
XLV, 9	XXV, 3	XXIV, 10	LXIII, 15 LXVIII, 9	XXXI, 5 LXX, 5	XXIII, 12 LI, 14 LXVIII, 20	II, 4	VIII, 1 XI, 3 XXX, 11 XXXXV, 6	XXXXI, 20	XXVII, 16	VII, 21 X, 10 XVIII, 8 XXII, 2 XV, 21 LXII, 8 XXXI, 17	VIII, 10 XXIII, 11 XXXXV, 13 L, 16 LXV, 4	III, 2
Dial. XXXII, 22		German. VII, 6										

32 ×

Tabella IV.

„Quasi" partic. cum vi comparativa posita.

Hist. I	Annal. I	II	III	VI	XII	XIII	XIV	XV
XVI, 6 LXXIV, 5	LXVIII, 8	LXXXIII, 21	XXXXVI, 16	XIII, 20	VII, 11	XXXXI, 17 XVIII, 3 XXI, 14 XXXV, 6	V, 2 XXX, 5 XXVII, 13 XXXII, 14 LIX, 11	XXV, 7 XXXVII, 2 LXXII, 4

19 ×

Tabella V.

Particula respondet graecae ὡς.

A. Coniunctionis partes agens.

Hist. I	Annal. I	XII	XIII	XV	
XVII, 5	XXXV, 14	LII, 2	XVIII, 11	LXXI, 12	5 ×

B. Sine verbo finito posita.

Annal. IV	VI	XII	XIII	XIV	XV	XVI	
XXII, 9	III, 5 XVII, 14	XXXXVII, 9 XXXXVII, 20	XVIII, 8 XXXVII, 10 LIV, 22	LXV. 2	X, 9 XV, 3 XXXIII, 5 LVIII, 5	VIII, 11 XVIII, 13	15 ×

20 ×

Pars II.

De usu particulae „velut" Taciteo.

Cognitum est particulam „velut" compositam esse ex „ut", quod comparationi servit et ex particula „vel". Quae ex hac duarum vocum compositione orta sit vis genuina paulo post explicabimus. —

Cum, ut supra memoravimus 97 exempla apud Tacitum exstant, quibus, „quasi" particula posita est, particulae „velut" 130 inveninus. Et cum 71 exempla adsunt, quibus „quasi" sine verbo posita inveniatur, particula „velut" maiorem exemplorum hoc modo comparatorum copiam praebet. Perlectis enim omnibus Taciti scriptis, 123 invenimus exempla, quae ad varia significationis discrimina nullo habita respectu, in singulis scriptis ita distributa sunt, ut Dial. 16, Germ. 5, Agric. 9, Hist. 41, Annal. 52, contineantur. — Hoc in universum; nunc videamus, quae sit singulis locis particulae significatio et vis. Non enim semper firma eademque est, non semper eadem gravitate praedita, ut eodem ubique vocabulo nostra in lingua reddi possit, sed ut particula „quasi" mutabilis et flexibilis est, cum ex primaria novae et aliae emanarint significationes, quae, etsi omnium quidem cognoscas eandem originem, tamen ad varias cogitationis et rationis pertinent regiones, ut fluvii eodem ex fonte nati varias in terras effunduntur.

Atque primum, quod in ipsa rei natura positum est, de eis disputabimus locis, quibus vis primaria integra adhuc servata esse videtur, quod ibi factum esse iure contendimus, ubi particula servit comparationi, et ubi aliquid introducit, quo, quae antecedunt facilius rectiusque intelligantur, et quo, ut pictura quadam in textum recepta scriptor legenti suam cogitationem quam apertissime ante oculos ponere et illustrare cupit. Sed etsi servavit Tacitus nonnullis locis vim illam genuinam et comparativam, tamen usum particulae, qualis in

aurea, quae vocatur, latinitate ei inhaeret, frustra quaeres. Cicero enim eiusque aetatis *) scriptores particula „velut“ tum usi sunt, si compluribus ex exemplis vel similibus, quae in promptu habent, unum, quod eis placet (vel) atque proximum (graec. αὐτίκα) esse videtur elegerunt, eodem sensu, quo nos dicemus: „um zu dem nächstliegenden beispiele zu greifen“. Cf. Cic. Nat. Deor. II, 48 et 73, Tuscul. V, § 34 (ad quem loc. cf. Tischer), Tusc. V, § 13. Apud Tacitum vero hanc proprietatem particula plane amisit, ita ut cum nulla sensus discrepantia sed promiscue cum particula „quasi“ adhiberetur. Conf. Tacit. Hist. IV, 71 et Annal. XIV, 32; Hist. IV, 35 et Annal. XIV, 32; Sallust. Catil. XXXXII, 4 et Tac. Ann. VI, 24.

Apparet apud Tacitum „velut“ praedita eadem significatione, qua „quasi“ multis locis, quibus scriptor utatur voce quadam rariore, qua simile vel imago continetur, quam, accuratissimo de eius vi adhibito iudicio omnibns ab partibus aptam esse ipse contendere nequit, quam vero adhibuit, aut quia aptiorem in promptu non habuit aut ut audaciore hac voce maius pondus in eam sermonis partem conferret, ad quam illustrandam et apertius efficiendam collocata est. Qua de re non solum similitudinis introducendae, sed etiam, cum ex ipsa scriptoris sententia adhibitum cum quadam audacia hoc simile rei comparandae saepissime non prorsus respondeat, excusandae munns suscipit. Hoc modo comparati sunt loci, quos nunc enumerabimus, quibus simile invenitur ex nomine vel adiectivo, vel ex nomine cui adiectivum aut participium additum est, consistens.

Dialog. V, 24 „Ipse (oratorem praedicat Aper) securus et quadam velut perpetua potentia ac potestate munitus“.

Quo loco ipse Aper sentit vocem „perpetua potentia ac potestate“ excusationis cuiusdam egere, quae cum iam additione pronominis indefiniti facta est particula „velut“ etiam confirmatur.

Dial. IX, 21 „Omnis illa laus intra unum aut alterum

---

*) Cf. Zumpt, lat. Gr. Cap. 63, § 282. Ramshorn, lat. Gr. III, IX, 196. Berger, lat. Gr. § 335, Anm. 5.

diem, velut in herba vel flore praecepta, ad nullam certam et solidam pervenit frugem".

Dial. XIV, 1 „Vixdum finierat Maternus, concitatus et velut instinctus *), cum Vipstanus Messala cubiculum ingressus est".

Supplendum est cogitatione: instinctus vi divina vel a deo quodam.

Dial. XIX, 1 „Nam quatenus antiquorum admiratores hunc velut terminum antiquitatis constituere solent".

Cum „antiquitas" nulla sit vox concreta audaciore tantum tropo „termini" **) ei attribuuntur, qua de re additur „velut". Apud Ciceronem eadem vi praedita particula „quasi" exstat: Lael. 16: „Constituendi sunt qui sint in amicitia fines et quasi termini diligendi".

Dial. XXII, 15 „Nihil excerpere, nihil referre possis et velut in rudi aedificio, firmus sane paries et duraturus, sed non satis expolitus et splendens".

Dial. XXII, 24 „Nullum sit verbum velut rubigine infectum".

Simile a ferro per longum temporis imbribus et tempestatibus adfecto captum excusatur per particulam.

Dial. XXVI, 25 „Quorum neminem Aper nominare et velut in aciem educere sustinuit".

Dial. XXX, 14 „Liber qui Brutus inscribitur, in cuius extrema parte — — — sua initia, suos gradus, suae eloquentiae velut quandam educationem refert".

Dial. XXXII, 19 „Ut — — — in paucissimos sensus et angustas sententias detrudant eloquentiam velut expulsam regno suo".

Eloquentiam reginam esse Messala animo suo fingit.

Dial. XXXIII, 3 „Ut inchoasse tantum et velut vestigia ac lineamenta quaedam ostendisse videaris".

Dial. XXXVIII, 8 „Primus haec tertio consulatu Cn. Pompeius adstrinxit imposuitque veluti frenos eloquentiae".

Dial. XXXIX, 4 „Quantum humilitatis putamus eloquen-

---

*) Cf. Döderlein, lat. Syn. I, 160, 8 et III, 314.

**) Cf. Döderlein, lat. Syn. IV, 359.

tiae attulisse paenulas istas, quibus adstricti et velut inclusi cum iudicibus fabulamur".

Dial. XXXIX, 14. 15 „Unus inter haec dicenti aut alter adsistit et res velut in solitudine agitur, oratori autem clamore plausuque opus est et velut quodam theatro".

Infinitivo exprimitur, quod in comparationem adducitur:

Dial. III, 30 „Ne dividatis saeculum, et antiquos ac veteres vocetis oratores, quos eorundem hominum aures adgnoscere ac velut coniungere *) et copulare potuerunt".

Alios, quam quos enumeravimus in Dialogo locos, quibus particula „velut" occurrit, non invenimus. Hisce autem omnibus in exemplis particula et comparationem per simile vel imaginem effectam introducit et audaciam quandam, quae vel sensui vel verbis ab usu quotidiano remotioribus inest, lenit et quasi excusat. Videmus igitur usum particulae „velut" a Tacito, cum primum scribendi arti operam daret, angustissimis tantum finibus circumclusum esse.

Germ. XXIX, 7. „Exempti oneribus et collationibus et tantum in usum proeliorum sepositi, velut tela atque arma, bellis reservantur".

Germ. XXXXI, 9 „Fortissimus quisque ferreum insuper anulum (ignominiosum id genti) velut vinculum gestat, donec se caede absolvat".

Loci similiter comparati e Germania adsunt: Germ. XXXXII, 4 „Eaque Germaniae velut frons est, quatenus Danuvio praecingitur".

Vocem translatam a facie humana in formam terrae Tacitus, particula „velut" omissa, adhibere ausus non est. Superat igitur longe eum audacia Quinttil. IV, 1, 42, qui non solum vim localem, quae inest voci frontis, plane neglexit sed etiam particulam comparativam omnino omisit, dicens:

„Insinuatio surrepat animos maxime, ubi frons causae non satis honesta est" etc. **).

Germ. XXXXIII, 23 Atras ad proelia noctes legunt ipsaque formidine atque umbra feralis exercitus terrorem infe-

*) Cf. Döderlein, lat. Syn. III, 274.

**) Cf. Spalding a. h. l. qui falso eum interpretatus esse videtur.

runt, nullo hostium sustinente novum ac velut infernum adspectum“.

Cognoscitur hoc ex loco Tacitum discrimen statuisse inter significationes vocum „feralis“ et inter „inferni“. Leviorem illi priori attribuit vim, cum particulam „velut“ vel similem addere necessarium non putaverit, graviorem autem secundae voci, quam, omissa particula, adhibere ausus non est. Significabit igitur „ferale“ id, quod quodam modo ad inferos referri potest vel inferis simile est, inferuum contra, quod re vera ad inferos pertinet vel apud eos invenitur. Cf. Annal. II, 28 et 69; Hist. V, 5.

In Agricola inveniuntur exempla, quae sequuntur:

Agric. X, 14 „Sed immensum et enorme spatium procurrentium in extremo iam litore terrarum velut in cuneum tenuatur“.

Agric. X, 27. „Unum addiderim, nusquam latius dominari mare, multum fluminum huc atque illuc ferre, nec litore tenus adcrescere aut resorberi, sed influere penitus atque ambire, et iugis etiam ac montibus inseri velut in suo“.

Conferas Cic. ad Attic. 13, 1. „Nam quomodo nunc est, pedem ubi ponat *in suo* non habet“.

Agric. XVI, 22. „Trebellius, fuga ac latebris vitata exercitus ira indecorus atque humilis, precario mox praefuit, ac velut pacti, exercitus licentiam, dux salutem, et seditio sine sanguine stetit“.

Pudet rerum scriptorem vocabuli, quo usus est et summo cum animi dolore facinus tam contumeliosum, pactionem inisse ducem cum exercitu, ut saluti suae consuleret, memoriae tradidit. Attamen, cum nullam aliam in promptu haberet vocem, qua melius et accuratius veritatem rei, qualis fuisset, describeret, vocabulum „pangendi“ adhibuit, sed pudore commotus, quasi ut leniret acerbam veritatem, „velut“ particulam addidit.

Agric. XXIII, 6. „Summotis velut in aliam insulam hostibus“.

Agric. XXIV, 16. „Idque etiam adversus Britanniam profuturum, si Romana ubique arma et velut ex conspectu libertas tolleretur“.

Fingit animo ccriptor, libertatem esse rem, quam tollere possis, ita ut oculis diutius non conspiciatur.

Agric. XXXXV, 19. „Tempus, quo Domitianus non iam per intervalla ac spiramenta temporum sed continuo et velut uno ictu rem publicam exhausit". Cf. Hist. II, XXXVIII, 15.

Conferas Senecam „de ira" III, 19, qui de Caligula dicit: „Homo qui de toto senatu trucidando cogitabat, qui optabat, ut populus Romanus unam cervicem haberet, ut scelera sua tot locis ac temporibus diducta in unum ictum et unum diem cogeret".

Nunc transeamus ad illos locos, qui eodem modo compositi in Historiis leguntur.

Histor. I, XXIV, 1. „Flagrantibus iam militum animis velut faces addiderat Maevius Pudens, ex proximis Tigellini".

Imaginem verbo „flagrantibus" inceptam Tacitus exsecutus est voce audaciore „faces addiderat". — Ceterum alibi ut in Dialog. Cap. XXXX „quas oratoribus faces admovebant" particulam lenientem omisit. Item Hist. II, LXXXVI, 20 „Acerrimam bello facem praetulit".

Hist. I, XXIV, 7. „Unam velut publicam largitionem Otho secretioribus apud singulos praemiis intendebat".

Reddas nostra in lingua: „diese, man möchte sagen öffentliche Freigebigkeit" etc.

Hist. I, L, 6. „Tum duos omnium mortalium impudicitia ignavia luxuria deterrimos velut ad perdendum imperium fataliter electos non senatus modo et eques, — — — — sed volgus quoque palam maerere".

„Gleichsam wie vom schicksal auserlesene".

Hist. I, LXII, 15 „Ipso profectionis die aquila leni meatu prout agmen incederet, velut dux viae praevolavit".

Hist. I, LXXI, 12. „Mansitque Celso velut fataliter *) etiam pro Othone fides integra et infelix".

Non sponte, non libera voluntate sed a secretis illis viribus, quibus totus mundus regnitur, Celsus, ut fidem suam Othoni quoque servaret coactus esse videtur.

Hist. I, LXXIX, 9. „Sarmatae dispersi cupidine praedae

---

*) Cf. Döderl., lat. Syn. V, 395.

aut graves onere sarcinarum et lubrico itinerum adempta equorum pernicitate velut vincti caedebantar".

„Fast so, als wenn sie gefesselt wären".

Hist. I, LXXIX, 10. „Namque mirum dictu ut sit omnis Sarmatarum virtus velut extra ipsos".

Hoc est: credidisses omnem virtutem eorum in equis positam esse.

Hist. I, LXXXIX, 6. „Secura tum urbe et provinciali bello, quod inter legiones Galliasque velut externum fuit".

Cf. Döderl., lat. Syn. IV, 388 et Weber, Uebungsschule pg. 416.

Hist. II, XX, 1. „At Caecina, velut relicta post Alpes saevitia ac licentia, modesto agmine per Italiam incessit".

Ex fine enunciationis cognoscitur, Tacitum falsam speciem efficere noluisse.

Hist. II, XXVIII, 8. „Veteres illos et tot bellorum victores, postquam in conspectu sit hostis velut ex acie abduci".

Non sinc iure legiones questae esse videntur, Batavos ex acie abduci, nam hostili in terra, postquam in conspectu erat hostis qui impugnandus erat, conditionem statumque exercitus cum acie quadam perpetua comparare a veritate valde alienum non erat.

Hist. III, XXXVIII, 15. „Quod singulis velut ictibus transacta sunt bella, ignavia principum factum est".

Conferas Agric. XXXXIV, 19.

Hist. II, LXXXXI, 6. „Adeo omnis humani divinique iuris expers, pari libertorum, amicorum socordia, velut inter tumulentos agebat".

Ita se gesserunt ut omnis rationis expertes et temulentorum simillimi esse viderentur.

Hist. III, I, 13. „Superesse Vespasiano mare, classes, studia provinciarum, per quas velut alteris belli molem cieret".

Cf. Hist. I, 61; II, 74; Annal. XV, 2. — His verbis causisque, quibus opperiri auxilia et trahere bellum videbatur, sententiam suam confirmare studebant.

„Es sei Vespasian, durch das Meer, die Flotte, die Zuneigung der Provinzen, mittelst deren er die Wucht, gleichsam noch eines Krieges aufbieten könne, im Vortheil".

Hist. III, XI, 1. „Legiones velut tabe infectae Aponium Saturninum Moesici exercitus legatum eo atrocius adgrediuntur".

Cf. Hist. IV, 81; V, 3. Annal. XI, 6. Loco fere similiter comparato (Hist. I, 26) Tacitus nullam adhibuit particulam. Discrimen in eo positum est ut illic mentes legionum, hic ipsas legiones tabe infectas esse narraverit.

Hist. III, XIII, 18. „Ut armatorum milia, velut grex venalium, exuli Antonio donum darentur?" Cf. Annal. XV, 37; Hist. II, 47.

Hist. XXIII, 15. „Vitelliani adverso lumine conlucentes velut ex occulto iaculantibus incauti offerebantur".

Surgente luna noctis tenebrae pulsae erant, sed cum Flavianis lumen a tergo esset, ita ut in umbra pugnarent, audaciore voce „ex occulto" eos iaculari Tacitus dicere poterat.

Hist. III, LIX, 1. „Ut terrorem Italiae possessa Abevania ac velut renatum ex integro bellum intulerat" etc.

Hist. III, LXVII, 9. „Ferebatur lecticula parvulus filius velut in funebrem pompam".

Hist. III, LXVIII, 15. „Postremo fletu praepediente adsistenti consuli (Caecilius Simplex erat) exsolutum a latere pugionem, velut ius necis vitaeque civium, reddebat".

Hist. III, LXXIII, 4. „Ex diverso trepidi milites, dux segnis et velut captus animi non lingua, non auribus competere".

Hist. IV, III, 15. „Senatus — — laetus et spei certus, quippe sumpta per Gallias Hispaniasque civilia arma, motis ad bellum Germanis, mox Illyrico, postquam Aegyptum Iudaeam Suriamque et omnis provincias exercitusque lustraverant, velut expiato terrarum orbe cepisse finem videbantur".

Cf. Hist. IV, 11.

Crediderunt patres orbem terrarum, ut hominem scelestum supplicio, multo effuso tot in bellis sanguine expiatum deorumque iram placatam esse.

Hist. IV, XIV, 18. „Instare dilectum, quo liberi a parentibus, fratres a fratribus velut supremum *) dividantur".

---

*) Cf. Boettich., lex. Tacitum pg. 452.

Adiectivum „supremum“ apud Tacitum fere semper ad mortem pertinet; hoc autem loco nihil aliud significat quam quod solum Batavis, quorum sanguine et spoliis praefecti et centuriones se expleverant, relictum erat: liberos et fratres.

Hist. IV, XXXXI, 8. „Eaque velut censura in Sariolemum Voculam et Nonium Attianum et Cestium Severum acerrime incubuit etc.“

Voci „censura“ particula addita est, quoniam cum in usu communi censoris solum munus significaret, a scriptore senatui attributa est.

Hist. IV, XXXXVI, 14. „Illos primus statim adspectus obstupefecerat, cum ex diverso velut aciem telis et armis trucem, semet clausos nudosque et inluvie deformes aspicerent“.

Putabant in deditionem accepti se imminente acie circumclusos esse, quod, ut paulo antea Tacitus narravit, Mucianus suis cum insignibus armisque constituerat victores, modicis inter se spatiis discretos, qua collocatione similitudo aciei orta est.

Hist. IV, LXII, 14. „Revolsae imperatorum imagines, inhonora signa, fulgentibus hinc inde Gallorum vexillis; silens agmen et velut longae exsequiae“.

Simile deductum est ex silentio lugubri et expectatione tristiore.

Hist. V, VII, 6. „Nam cuncta sponte edita aut manu sata, sive herba tenus aut flore seu solidam in speciem adolevere, putria et inania velut in cinerem vanescunt“.

Hist. V, XXIII, 6. „Spatium, velut aequoris electum, quo Mosae fluminis os omnem Rhenum Oceanum adfundit.“

Hos locos ex Historiis collegimus, quibus „velut“ merae comparationi mitigationique audacis vocis servit. Quorum multi tam conspicui erant, ut nihil haberemus, quod ad eos explicandos adderemus. Nunc transgrediamur ad Annales.

Annal. I, VIII, 24. „Die funeris milites velut praesidio stetere“.

Re vera praebuisse milites eam speciem patet ex verbis, quae sequuntur: „Nunc senem principem longa potentia, provisis etiam heredum in rem publicam opibus, auxilio scilicet militari tuendum, ut sepultura eius quieta foret“.

Annal. I, X, 32. „Quamquam honora oratione, quaedam de habitu cultuque et institutis eius iecerat, quae velut excusando exprobraret".

Puto re vera Augusti de Tiberii moribus habitam orationem excusationi simillimam fuisse. Quo facto consulto aut invitus eum vituperavit, cum ea solum excusatione egeant, quae erprobratione digna sunt.

Annal. I, XVII, 2. „Postremo promptis iam et aliis seditionis ministris velut contionabundus interrogabat, cur paucis centurionibus, paucioribus tribunis in modum servorum oboedirent".

Gregem militum, quos Percennius, dux olim theatralium operarum concitaverat, honesto nomine contionis Tacitus significare noluit neque eandem ob causam eum, qui apud illos, oratione sua ignem et materiam seditioni subdidit „contionabundum" nominare ausus est sed „velut contionabundus, inquit, interrogabat" etc.

Ne ignores his verbis ironiam quandam particulae vi inesse.

Annal. I, XXXXI, 1. „Non florentis Caesaris neque suis in castris, sed velut in urbe victa facies gemitusque ac planctus etiam militum aures oraque advertere".

Conferas Nipperdeium hunc ad locum qui nostro sermone eum reddidit: „ein bild, wie es in einer besiegten stadt vorkommt".

Annal. II, VI, 14. „Nam Rhenus uno alveo continuus aut modicas insulas circumveniens apud principium agri Batavi velut in duos amnes dividitur".

Re vera unus erat fluvius sed specie externa adductus facile credidisses duos esse amnes.

Annal. III, XXVIII, 10. „Acriora ex eo vincla, inditi custodes et lege Papia Poppaea praemiis inducti, ut, si a privilegiis parentum cessaretur, velut parens omnium populus vacantia teneret".

Annal. III, LV, 18. „Nisi forte inest rebus cunctis quidam velut orbis, ut quem admodum temporum vices, ita morum vertantur".

Ex tota enunciationis facie, ex voculis adhibitis „forte"

et „quidam“ conspicuum est ipsum scriptorem sensisse audaciam dicti idque additione quoque particulae mitius reddere voluisse.

Annal. IV, XXVII, 6. „Mox positis propalam libellis ad libertatem vocabat (T. Curtisius) agrestia per longinquos saltus et ferocia servitia, cum velut munere deum tres biremes adpulere ad usus commeantium illo mari“. Cf. Annal. III, 58.

Annal. IV, XXXI, 8. „Quin ipse, compositus alias et velut eluctantium verborum, solutius promptiusque eloquebatur, quotiens subveniret“. Cf. Hist. III, 59.

„Gleichsam wie wenn die worte sich erst hervorringen müssten“.

Annal. IV, XXXIV, 22. „Marci Ciceronis libro, qua Catonem caelo aequavit, quid aliud dictator Caesar quam rescripta oratione, velut apud iudices respondit“.

Non re vera causam in iudicium vocavit Caesar, sed duobus libellis, qui Anticatones inscripti erant (cf. Suet. Caes. 56) laudationi Ciceronis in Catonem Uticensem, quam is quasi defensor viri habuit, quasi accusator respondit, impugnavitque eam ita ut legentes, id est populum Romanum iudices redderet.

Annal. IV, XXXVI, 13. „Nam ut quis destrictior accusator, velut sacrosanctus erat“.

Pudore quodam commotus honestam vocem „sacrosancti“, privilegii maximi quo nonnulli magistratus ornabantur, non, nisi addita particula „velut“ ad turpissimos accusatores delatoresque referre voluit scriptor.

Annal. IV, XXXX, 11. „Simplicius acturum, de inimicitiis primum Agrippinae, quas longe acrius arsuras, si matrimonium Liviae velut in partes domum Caesaris distraxisset“.

Conferas Nipperdeium hunc ad locum.

Annal. IV, LXVII, 21. „Quis additus miles nuntios, introitus, aperta secreta velut in annales referebat“ etc.

Tam accurate tantaque cum diligentia omnia memoriae tradiderunt et adnotaverunt milites delatorum partes agentes ut cum scriptoribus rerum gestarum comparari posse viderentur.

Annal. V, III, 4. „Tunc velut frenis exsoluti proruperant“.

Hanc imaginem in Dialogo quoque adhibuit Tacitus. Cf. Dialog. XXXVIII.

Annal. VI, IX, 3, „At Iunium Gallionem, qui censuerat, ut praetoriani actis stipendiis ius apiscerentur in quattuor decim ordinibus sedendi, violenter increpuit, velut coram rogitans, quid illi cum militibus" etc.

Re vera Caesar non aderat, sed litteris eum perculit, idque tam vehementer, ut credidisses coram eum interrogasse etc.

Annal. VI, XXXVI, 17. „Firmarent velut foedus, quo princeps ceterarum rerum poteretur, ipse provinciam retineret".

Hoc loco ne modestiae cuiusdam species tolleretur, in epistola, quam Lentulus Gaetulicus ad Tiberium misisse credebatur, addi videtur particula.

Annal. VI, XXXXIV, 9. „Supremis tabulis multa et atrocia in Macronem ac praecipuos libertorum Caesaris composuit (Fulcinius Trio), ipsi fluxam senio mentem et continuo abscessu velut exilium obiectando".

De voce „exilium" cf. Döderl. IV, 241.

Annal. XI, XXIII, 12. „An parum quod Veneti et Insubres curiam inruperint, nisi coetus alienigenarum velut captivitas inferatur".

Conferas quod Nipperdeius quocum prorsus consentio ad hunc locum explicandum protulit. Cf. Annal. XVI, 6; XII, 51; Hist. III, 70; III, 83.

Annal. XII, XXXXVI, 1. „Digressu centurionis velut custode exsolutus hortari Mithridatem ad sanciendum foedus" etc.

Centurio Casperius cum custode comparari poterat, cum, ut ex proximo capite scimus obtestatus esset, ne socius rex, ne Armenia, donum populi Romani scelere et pecunia verterentur.

Annal. XIII, XIV, 3. „Et Nero infensus iis, quibus superbia muliebris innitebatur, demovet Pallantem cura rerum, quis a Claudio impositus velut arbitrium regni agebat".

Pallanti liberto arbitrium regni tribuere sane admodum audax erat.

Annal. XIII, XXV, 18. „Ludicram quoque licentiam et fautores histrionum velut in proelia convertit impunitate et praemiis".

Annal. XIII, XXVII, 11. „Quos vindicta patronus non liberaverit velut vinclo servitutis attineri. Cf. Döderl., lat. Syn. IV, 284.

Annal. XIII, XXXXI, 14. „Adiicitur miraculum velut numine oblatum".

Conferas Nipperd. Praefat. ad Annal. pg. XIII.

Annal. XIII, XXXXII, 19. „Romae testamenta et orbos velut indagine eius capi".

Imago ex sermone (maxime poëtico) venatorum sumpta est. Cf. Agric. XXXVII; Liv. VII, 37. Cf. Boettich., lex. Tac. pg. 252.

Annal. XIV, VI, 3. „Illic reputans ideo se fallacibus litteris accitam et honore praecipuo habitam, quodque litus iuxta, non ventis acta, non saxis impulsa navis summa sui parte veluti terrestre machinamentum concidisset" etc.

Annal. XIV, XXXVII, 3. „Ac primum legio gradu immota et angustias loci pro munimento retinens, postquam in propius suggressos hostes certo iactu tela exhauserat, velut cuneo erupit".

Cum significatione propria et vulgari ad similitudinem exprimendam vocem cunei adhibuit Tacitus, addita particula „velut" in Agricol. Cap. X. Significatio translata, quae designat peditum multitudinem in cunei formam redactam, saepissime ab eo usurpata est: Hist. IV, 16 et 20; V, 16. Germ. VI. Annal. I, 51; XIV, 37 etc.; sed nusquam nisi hoc loco particula addita est.

Annal. XIV, LII, 2. „Mors Burri infregit Senecae potentiam, quia nec bonis artibus idem virium erat altero velut duce amoto, et Nero ad deteriores inclinabat".

Annal. XIV, LIII, 10. „Abavus tuus Augustus M. Agrippae Mytilenense secretum, C. Maecenati urbe in ipsa velut peregrinum otium permisit".

Collocatione artissima vocum „urbis“ et „peregrini otii“, sibi, quod ad sensum pertinet prorsus oppositarum, particula sermonis audaciam leniens, si deesset, sane desideraretur.

Annal. XV, LVIII, 2. „Quia et urbem, per manipulos occupatis moenibus, insesso etiam mari et amne, velut in custodiam dedit“.

Annal. XV, LXIII, 1. „Ubi haec atque talia velut in commune disseruit, complectitur uxorem“.

Annal. XV, LXIX, 4. „Occuparet velut arcem eius, opprimeret delectam iuventutem, quia Vestinus imminentes foro aedes decoraque servitia et pari aetate habebat“.

Enunciatio secundaria a „quia“ pendens causam addit, ex qua Nero iubere potuerit: „arcem opprimeret“ scilicet domum foro imminentem.

Annal. XV, LXXI, 23. „Cluvidieno Quieto, Iulio Agrippae, Blitio Catulino, Petronio Trisco, Iulio Altino, velut in agmen et numerum, Aegaei maris insulae permittuntur“.

Cum ironia quadam dictum est. Ordinem enim militarem significare videtur „in agmen et numerum“. Nos: „in reih' und glied“.

Annal. XVI, XXVII, 11. „Quod velut telum corripuere accusatores“.

Hic illi quoque addendi sunt loci, quibus id quod, ut scriptoris sententia dilucidius appareat, in comparationem vocatur, Infinitivo expressum est.

Hist. IV, VII, 14. „Hoc senatus iudicio velut admoneri principem, quos probet, quos reformidet“.

Annal. II, XXXVIII, 13. „Non enim preces sunt istud, sed efflagitatio, intempestiva quidem et improvisa, cum aliis de rebus convenerint patres, consurgere et numero atque aetate liberum suorum, eandem vim in me transmittere ac velut perfringere aerarium“.

Omnibus locis, quod adhuc enumeravimus particula „velut“, nullo significationis discrimine differt a particula „quasi“, de qua prima dissertationis parte quaestionem instituimus. Suscepit enim ubique munus imaginum vel similium introdu-

cendorum. Quae similia cum ideo usurpantur, ut sermoni vulgari et simplici varietatem iucundam inserant addantque speciem ornatus cuiusdam oratorii, tum maxime eo sensu adhibentur a scriptoribus, ut quae adhibita voce usitatissima eamque saepe ob causam obscuriore (nam usus quotidianus proprias genuinasque verborum significationes semper atterit) minus clara et distincta appareant, alia simili et inusitatiore voce, ut ita dicam, auxilio vocata, quam maxime conspicua et manifesta fiant. Attamen non ita comparata est vox, qua simile continetur, ut nullo cum rationis detrimento pro re vera poni possit, sed ita usurpata, ut non tota significationis vis, quae ei inhaeret, sed, si dicere licet, pars tantum vel regio certa significationis quadret in rem accuratius explicandam referaturque ad eam dilucidiorem reddendam. Duplex autem est via, qua hoc fieri potest: aut res iam voce quadam expressa, addita secunda significantiore, qua simile continetur, dilucidior fit aut res, omissa omni vulgari linguae instrumento, per ipsum simile tantum indicatur. Certis solum a partibus similia cum rei veritate congruunt vimque quam ei scriptor inesse voluit maiore gravitate exprimunt, aliis vero a partibus ab ea diversa sunt, quod, ut primo aspectu intelligatur, additione particulae similitudinem tantum indicantis, efficitur. Facile vero est intellectu voculas, quae adhibeantur, aut ad res vocabulis usitatissimis iam expressas accuratius illustrandas et ante oculos legentium ponendas per similia et imagines addita aut, omissa omni rei vulgari significatione ad introducenda in loco rei ipsius imagines et similia, saepissime, nam in rerum natura situm est, rariora et audaciora futura esse. Quae cum ita sint, non mirum videri poterit, particulis similia introducentibus saepius eam quoque significationem usu linguae insitam esse, ut leniant et excusent scriptoris audaciam, qua minus usitatis linguae instrumentis in componendis similibus usus est. Eundem ad finem aliae quoque voculae sermoni interponuntur ut „forte“ (Annal. III, LV, 18), „quidam“, quae sunt similia (Hist. I, LXXIV, 10 „namque mirum dictu“).

Exempli causa invenis apud Tacitum: „velut quidam“ in Dialog. V, 24; XXX, 14; XXXIII, 3; XXXIX, 15; Annal.

III, LV, 18. — Liceat addere compluribus locis simile prolatum propius ad rei veritatem accedere, ut particula fere eandem habeat vim, quam paene vel prope. Locos, quibus talis particulae vis inest, legis: Dial. XXXXII, 14. Hist. I, XXVIII, 8; LXXIX, 9; II, LXXXXI, 6; III, LIX, I et LXXIII, 4; IV, XIV, 17; Annal. IV, XXXVI, 13; XIII, XIV, 3.

Usus particulae, quem usque adhuc cognovimus, etsi ab accurato Ciceronis usu discrepat tamen tota in latinitate invenitur neque quidquam novi et proprii praebuit.

Nunc transire liceat ad secundum exemplorum ordinem, quibus per particulam „velut", falsa quaedam species rei veritati opposita inducitur, ita ut hoc quoque usu cum „quasi" parem habeat significationis vim. Loci, qui huc pertinent cum illis, quos usque adhuc tractavimus, eo conveniunt, ut iis quoque introducatur simile quoddam vel imago rei ipsius, quam scriptor quam manifestissime legentibus ante oculos ponere cupit. Vidimus vero locis supra memoratis hoc simile saepius tam arte cum rei veritate cohaerere potuisse, ut „velut" particularum „prope", „paene" acciperet vim, reliquis autem locis similitudinis quidem elementa, ea, quibus a re vera diversum erat simile, superare.

Consentaneum autem est liberum iudicium de maiore vel minore similitudine cum re ipsa, legentium animis permissum esse a scriptore. Sed fieri potest, ut ii, qui legant scriptoris verba, ipsi sentiant, simile introductum a rei veritate prorsus alienum et diversum esse, cum elementa similitudinis eis, quae dissimilia sint ipsi rei, obruantur. Hoc si fit, oritur falsa quaedam species, a scriptore petita legentiumque arbitrio, cognita. Negari autem non potest, saepius difficillimum esse diiudicatu, quae fuerit scriptoris sententia, utrum maius pondus attribuerit similitudini an discrepantiae, etiam accuratissimo ad omnem sermonis contextum habito respectu.

Hos inter dubios locos enumerandi sunt, ii, quos iam protulimus: Hist. I, LXXIX, 9; Annal. II, VI, 14; IV, LI, 13; VI, IX, 3. — De eis autem, quos nunc proferamus, dubitari posse non videtur, quin falsam speciem per simile sola cogitatione fictum scriptor consulto effici voluerit.

Agric. XXXXVI, 18. „Nam multos veterum velut inglorios et ignobilis oblivio obruit: Agricola posteritati narratus et traditus superstes erit“.

Videtur Tacitus in memoria tenuisse Horatianum illud: lib. IV, Carm. IX:

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi: sed omnes illacrimabiles
Urgentur ignotique longa
Nocte, carent quia vate sacro.

Cf. Plin. nep. VIII ep. 33, VI epist. 16.

Conspicuum est hac in sententia respondere voci „Agricolae“, priore in membro „multos veterum“.

Multos, scriptor dicere vult, veterum non minus claros et memoria dignos quam Agricola erat, oblivio obruit, quia deerat, qui posteritati eorum vitam factaque narraret et traderet. Quo factum est, ut falso ignobiles et inglorii viderentur.

Hist. I, LXXXII, 10. „Postera die velut capta urbe clausae domus, rarus per vias populus, maesta plebs“.

Re vera urbs capta non erat.

Hist. II, XV, 8. „Ac velut pactis induciis; ne hinc classis inde eques subitam formidinem inferrent, Vitelliani retro Antipolim Narbonensis Galliae municipium, Othoniani Albigaunum interioris Liguriae revertere“.

„Als ob waffenstillstand geschlossen wäre“.

Hist. III, XXXVII, 6. (Patres) „velut pro Vitellio conquerentes, suum dolorem proferebant“.

Etsi ex Taciti verbis non dilucide appareat, unde hic dolor ortus sit, utrum ex proditione Caecinae, quae successum non habuerat, an ex misero rei publicae statu in talium potestatem delapsae (cf. cap. 58 Plerique haud perinde Vitellium, quam casum locumque principatus miserebantur), tamen pro certo fere putandum est, iam tum senatum, Vitellii odio incensum, Vespasiano alienum minime fuisse. Ex collocatione quoque duorum enunciationis membrorum concludi potest, eis contineri, quae sensu contraria sint. Alius igitur

Vitellium, alius patres vexabat dolor, ut, si pro eo conquerebantur, hoc simulatione solum factum esset, quia falsam fidei erga principem servatae speciem sibi compararent.

Hist. III, LXII, 9. „Ludicro Iuvenalium sub Nerone velut ex necessitate, mox sponte mimos actitavit, scite magis quam probe“.

Acerrimum de moribus Valentis iudicium Tacitus fert, cum verbis, quae antecedunt: „procax moribus neque absurdus ingenio, ni famam urbanitatis per lasciviam peteret“, tum superscriptis. Nam adiectione particulae, necessitas illa, qua Valens fortasse se excusare potuisset, dubiosa facta atque omnino negata est.

„Scheinbar gezwungen“. Taciti sententiam hoc de dedecore invenies Annal. XIV, Capp. XIV et XV. Cf. Lipsium h. ad l.

Hist. IV, XXXV, 7. „Qui (Civilis) ubi rursum missos Novaesium frumentatores datasque in praesidium cohortes velut multa pace ingredi accepit, rarum apud signa militem — — — compositus invadit“.

Fallacum fuisse pacis speciem, qua milites Romani freti erant, Civilis invasio probavit.

Hist. IV, XXXXIII, 6. „Quod ubi sensit Marcellus velut excedens curia „imus, inquit, Prisce, et relinquimus tibi senatum tuum: regna praesente Caesare“.

Ex verbis, quae sequuntur: „donec adcursu amicorum retraherentur“, demonstratur a Tacito Marcellum excedentem nihil nisi comoediam egisse.

Annal. IV, LI, 13. „Suorum atque hostium ignoratio et montis anfractu repercussae velut a tergo voces adeo cuncta miscuerant, ut quaedam munimenta Romani quasi perrupta omiserint“.

Re autem vera hostes nondum in tergum Romanorum venerant.

Hist. IV, LXX, 5. „Classicus segne plerumque otium trahens, velut parto imperio fruebatur“.

Vana fuit Classici opinio, cum paulo post a Ceriale opprimeretur.

Annal. I, XXXIV, 4. „Dehinc audito legionum tumultu raptim profectus (Germanicus) obvias extra castra habuit, deiectis in terram oculis velut paenitentia".

Qualis fuerit simulata illa paenitentia ex eis, quae sequuntur, cognoscitur.

Annal. I, LXV, 7. „Ducemque terruit dira quies: nam Quintilium Varum sanguine oblitum et paludibus emersum cernere et audire visus est velut vocantem".

Vana nostro ex iudicio somniorum species Caecinam fefellit. Attamen non ausim hoc loco iudicare, quid Tacitus hac de imagine censuerit, utrum veram eam fuisse putaverit, necne. Cf. Nipperd. Praef. ad Ann. pg. XV.

Annal. II, XXV, 15. „Romanos praedicabant, qui perdita classe, post constrata equorum virorumque corporibus litora eadem virtute, pari ferocia et velut aucti numero iurupissent".

Annal. III, XXII, 11. „Deprecatus primo senatum ne maiestatis crimina tractarentur, mox M. Servilium e consularibus aliosque testes inlexit ad proferenda, quae velut reiicere voluerat".

„Reiicere" quod Mediceus primus praebet Nipperdeius mutavit in: „nescire" (antea Acidalius in: „reticeri"), ut nobis videtur nulla coactus necessitate. Fertur enim iudicium de Tiberii voluntate, conclusum e modo, quo antea in senatu se gesserat: Reddamus nostra in lingua: „die er scheinbar hatte unterdrücken wollen" (scheinbar, wenn man nämlich aus seinem behaben vorher schlüsse ziehen darf). *)

Annal. IV, LXIX, 8. „Interea Latiaris repertum in publico Sabinum, velut recens cognita narraturus, domum et in cubiculum trahit":

Quid haec narratio sibi voluerit, discimus ex cap. LXVIII et initio nostri. Compositum enim erat inter ipsos ut Latiaris — — strueret dolum, ceteri testes adessent, deinde accusationem inciperent.

---

*) Cf. Nipperdeium hunc ad loc.

Annal. VI, V, 5. „Et erat iuvenis haud dispari aetate quibusdam Caesaris libertis velut adgnitus". (Cf. Germ. 20. Hist. III, 75. Annal. IV, 34.)

Libertos iuvenem non veritatis amore commotos adgnovisse ex verbis, quae sequuntur, conspicuum fit: „per *dolumque* comitantibus adliciebantur" etc.

Annal. VI, VII, 16. „Praepositique servi, qui conquirerent, dona in promptos, minas adversum abnuentes, et si retinerent propinquus aut parens, vim raptus suaque ipsi libita velut in captos exercebant".

„Als ob sie kriegsbeute wären".

Annal. VI, LVI, 9. „Is velut propria ad negotia digrediens et per speciem officii manum complexus pulsum venarum attigit".

Qua in sententia „velut" et „per speciem" eadem ratione usurpata, eandem praebent significationem.

Annal. XI, XII, 13. „Postremo, velut translata iam fortuna, servi liberti paratus principis apud adulterum visebantur".

Facile credidisses Claudium iam mortuum Siliumque, Messalinae adulterum imperatorem factum esse.

Annal. XII, LXVIII, 5. „Iam primum Agrippina, velut dolore evicta et solacia conquirens, tenere amplexu Britannicum" etc.

Re autem vera prohibere voluit, quominus cubiculo egrederetur ne audito Claudii mortis nuntio, populi favore incitatus, regnum sibi comparare conaretur.

Annal. XIII, XXX, 5. „Clodius Quirinalis, quod praefectus remigum, qui Ravennae haberentur, velut infimam (cf. Hist. II, 38 et 21) nationum Italiam luxuria saevitiaque adflictavisset, veneno damnationem anteiit".

Annal. XIV, XXXI, 5. „Quod contra vertit, adeo ut regnum per centuriones, domus per servos velut capta vastarentur". (Cf. Annal. III, VII, 17.) Capta domus non erat, cum Icenorum rex Prasutagus Caesarem heredem duasque filias scripsisset.

Annal. XIV, LXII, 17. „Ille insita vaecordia et facilitate priorum flagitiorum, plura etiam quam iussum erat fingit fateturque apud amicos, quos velut consilio adhibuerat princeps". „Als einen rath" cum ironia dictum est, cum re vera occulte omnia constituta et communi fraude peracta essent.

Annal. XV, XXXX, 3. „Sexto demum die apud imas Esquilias finis incendio factus, prorutis per immensum aedificiis, ut continuae violentiae campus et velut vacuum caelum occurreret".

Re vera caelum vacuum non erat. Cf. Nipperd.:

„Es war nicht wirklich leer, weil nach dem freien raum doch noch wieder häuser kamen".

Priusquam ad illos transeamus locos, quibus tertiae particulae significationis genus continetur, ea addenda sunt exempla, quibus „velut" cum verbo finito coniunctum coniunctionis partes suscepit. Omnes enim loci praeter unum, ad secundum exemplorum ordinem, de quibus iam disputavimus referendi sunt. Semper a particula Coniunctivus Imperfecti pendet. Comparationi particula nusquam servit. Loci qui sequuntur, apud Tacit. occurrunt:

Agric. XXXV, 10. „Britannorum acies in speciem simul ac terrorem editioribus loci constiterat ita, ut primum agmen in aequo, ceteri per adclive iugum conexi velut insurgerent".

Annal. III, LXII, 5. „In hac relatione subtrahi oculos meos melius fuit, ne denotantibus vobis ora ac metum singulorum, qui pudendi luxus arguerentur, ipse etiam viderem eos ac velut deprehenderem".

Annal. XI, XXII, 24. „Et quamquam equites iudicia reciperavissent, quaestura tamen ex dignitate candidatorum aut facilitate tribuentium gratuito concedebatur, donec sententia Dolobellae velut venumdaretur".

Falsa species a rei veritate abhorrens indicatur per particulam locis prolatis et eis, qui sequuntur:

Hist. II, VIII, 2. „Sub idem tempus Achaia atque Asia *falso* exterritae, velut Nero adventaret".

Hist. III, LXXXIII, 15. „Velut festis diebus id quoque

gaudium accederet, exsultabant, fruebantur, nulla partium cura, malis publicis laeti".

Annal. IV, LXIII, 24. „Eaque spreta ab illis, velut pararent, obiiciebantur".

Tam miser reipublicae status erat, ut non solum facta, sed etiam ea, quae facta non erant, ut crimina obiicerentur.

Restat ut sub finem huius dissertationis de iis locis quaestionem instituamus, quibus particula vim comparativam, qua simile quoddam proferebatur, non servasse eiusque in loco significationem causalem usurpasse videtur. Quod fit illis in sententiis, quibus scriptor causam aliquam non ut suam, a se ipso approbatam, sed ut inhaerentem animis eorum, qui subiectum enunciationis formant, significare sibi proposuit, ita ut dubium redderet, utrum ipse eam idoneam vel veram iudicari vellet necne. Qua de re his locis coacti sumus confiteri nos legentes quoque pro certo statuere non posse, utrum species falsa an causa cum veritate congruens verbis Taciti insit. Exempla hanc sententiam confirmabunt:

Germ. VII, 7. „Ne verberare quidem nisi sacerdotibus permissum, non quasi in poenam nec ducis iussu, sed velut deo imperante, quem adesse bellantibus credunt".

Duplici modo haec sententia intelligi nostrumque in sermonem transferri potest. Si putemus Tacitum verbis „velut deo imperante" explicare voluisse, ea quae antecedunt, sane iure reddamus: „als ob der kriegsgott es befehle"; sin credamus eum ipsorum Germanorum sententiam protulisse, transferendum est: „weil der kriegsgott es befehle". Haec verba edita Taciti ex animo, cum ipse religione deorum Germanorum non impleretur, falsam per particulam adipiscuntur speciem; ex Germanorum sententia, qui crediderunt deum ipsum bellantibus adesse, causa vera et recta, cur solnm sacerdotibus verberare permissum sit, per particulam additur.

Agric. XVIII, 2. „Hunc Britanniae statum, has bellorum vices media iam aestate transgressus Agricola invenit, cum et milites velut omissa expeditione ad securitatem et hostes ad occasionem verterentur".

„Die soldaten gaben sich der sorglosigkeit hin, weil die kriegsunternehmung aufgehört habe, die feinde suchten gele-

genheit". In verbis quoque, quae sequuntur dicitur de praesumpta apud militem illius anni quiete.

Agric. XXXXIII, 17. „Satis constabat lecto testamento Agricolae, quo cohaeredem optimae uxori et piissimae filiae Domitianum scripsit laetatum eum velut honore iudicioque".

Haec sententia per se solum lecta solutaque ex sermonis contextu rectissime redditur". „Domitian freute sich über das testament, weil er darin für sich ein ehrenvolles urtheil sah". Nam si sensisset, timore solum Agricolam perductum esse, ut eum coheredem scriberet, sane gavisus non esset. Sed hanc suspicionem animo non concepit, putavit imo eam solum ob causam Agricolam tale testamentum fecisse, ut honorificum erga principem ferret iudicium.

Ex verbis autem quae sequuntur cognoscimus, quae vera Taciti sententia hoc de testamento fuerit, qui scripsit: „tam caeca et corrupta mens assiduis adulationibus erat, ut nesciret a bono patre non scribi heredem nisi malum principem". Quae igitur Domitiano vera causa, Tacito falsa species et simulatio necessaria esse visa est. Recte igitur nostrum in sermonem transferemus: „Er freute sich über das testament, weil er darin, obschon fälschlich, für sich ein ehrenvolles urtheil sah".

Hist. III, IX, 26. „Recitatae pro contione epistulae addidere fiduciam, quod submisse Caecina, velut offendere Vespasianum timens, ipsorum duces contemptim tamquam insultantes Vitellio scripsissent".

Fiducia completi sunt animi militum, qui explicantes sibi et observantes dissimilitudinem duarum epistularum a Caecina et ipsorum a ducibus scriptarum, sibi persuaserunt, illum timere Vespasianum, has insultare Vitellio eumque contemnere. Recte eos iudicasse ex capite XIII (huius libri) et eis, qaae sequuntur, manifesto apparet. Vertam igitur: „die briefe steigerten ihre zuversicht, da Caecina bescheiden, weil er (wie sie nämlich annahmen) Vespasian zu beleidigen fürchte, ihre feldherren aber voller verachtung, weil sie sich über Vitellius lustig machten, geschrieben hätten".

Hist. III, XXVII, 15. „Incessabat cunctatio, ni duces fesso

militi et velut inritas exhortationes abnuenti Cremonam monstrassent".

Vespasiani milites in expugnanda Cremona, cum, soluta compage scutorum, multa strage affecti essent, abnuebant exhortationes, quia inritas eas putabant, cum nondum nullum consecuti essent successum: „sie hörten nicht mehr auf die anfeuerungen, weil sie ja doch nichts nützten".

Hist. III, LXXV, 13. „Sed Vitellius consulis supplicium poscenti populo restitit, placatus et velut vicem reddens, quod interrogantibus quis Capitolium incendisset se reum Atticus obtulerat, eaque confessione — — — invidiam crimenque adgnovisse et a partibus Viteliii amolitus videbatur".

Cum Sabinum una cum Attico captum exposcenti plebi ad supplicium permisisset, cumque Atticus edicta in populum pro Vespasiano magnifica, probrosa adversus Vitellium iecisset (cf. cap. LXXIII), sane gratitudine quadam ob confessionem incendii commotus populo consulis supplicium poscenti restitit: „weil er vergelten wollte, dass etc." Tacitus vero, qua est suspicione animi, legentium iudicium hac de re exposcit neque pro certo statuit, re vera gratum Vitellium fuisse.

Hist. IV, LXXI, 7. „Socii ad munia pacis redirent velut confecto bello, quod Romanae manus excepissent".

Proximis capitibus satis adfirmatur bellum nondum confectum esse (cf. Hist. III, XXV, 3; Annal. XII, XXXVIII, 6; XV, VIII, 10.) Attamen Petilius Cerialis qui verbis „velut confecto bello" causam indicavit obquam „socii ad munia pacis redirent", stultissimus fuisset, si per particulam „velut" ipse significasset, hanc, quam protulerat, causam vanam et mendacem esse. Reddendus igitur est locus: „die bundesgenossen möchten zu den werken des friedens zurückkehren, weil der krieg zu ende sei, den etc."

Hist. V, IV, 5. „Effigiem animalis, quo monstrante errorem sitimque depulerat, penetrali sacravere, caeso ariete velut in contumeliam Hammonis".

Putabant enim Judaei, se caeso ariete Iovem Hammonem deridere. Nam Moysis legibus cautum est, ut pro peccato aries offeretur. Cf. Wölfl. Phil. XXIV, pg. 123.

Annal. XI, XXVII, 4. „Haud sum ignavus fabulosum vi-

sum iri tantum ullis mortalium securitatis fuisse in civitate omnium gnara et nihil reticente, nedum consulem designatum cum uxore principis, praedicta die, adhibitis, qui obsignarent, velut suscipiendorum liberorum causa convenisse".

Cum Wölfleinio arbitror Nipperdeium, qui „velut" expulit, non recte hunc locum intellexisse. Non ludibrii causa, sed ut verum matrimonium inirent, testes adhibuerunt.

Graece: ὡς εἰς γένησιν.

Ceterum Niperd. in editione III particulam „velut" restituit Wölfleinique sententiam probavit verbis: „velut bezeichnet bloss den anschein, nicht dass dieser ein falscher war, da die heirath keineswegs eine scheinheirath sein sollte".

Annal. XV, LIII, 12. „Primas sibi partes expostulante Scaevino, qui pugionem templo Salutis, sive, ut alii tradidere, Fortunae Ferentino in oppido detraxerat gestabatque velut magno operi sacrum".

Ad quem locum Wölfleinius adnotavit: „wenn es von dem verschworenen Scaevinus heisst, pugionem — — — etc., so will ihn Tacitus, wie wir ihn (Tacitus) oben haben kennen lernen (pg. 116 Phil. XXIV), schwerlich tadeln oder widerlegen, sondern blos sagen, der träger habe den dolch für geweiht angesehen, ohne dass er sich selbst in die religiöse Frage einmischt".

Annal. XVI, II, 3. „Igitur Nere, non auctoris, non ipsius fide satis spectata nec missis per quos nosceret an vera adferrentur, auget ultro rumorem mittitque qui velut paratam praedam adveherent".

Sin sequamur scriptoris sententiam, qui, cum haec verba scriberet, iam cogitavit, qualis fuisset totius rei eventus, falsa sane species statuenda locusque reddendus est: „als ob die beute bereit wäre und man nur zugreifen dürfe".

Videtur autem imperator credidisse, quoniam praeda parata esset, id unum necessarium esse, ut adveheretur: „weil der kaiser sich einbildete, man dürfe nur zugreifen".

Restat unus locus, quo „velut" coniunctionis partes suscepit: Hist. III, XI, 9. „Quippe Moesicae legiones adiutam a se Pannonicorum ultionem referentes, et Pannonici, velut absolverentur aliorum seditione, iterare culpam gaudebant".

„Weil nach ihrer meinung, durch den aufruhr auch andrer, ihre schuld getilgt werde".

Haec argumentatio a rudibus militum animis aliena esse non videtur. Attamen negari non potest, etiam ita explicari posse locum, ut Tacitum vanitatem eorum opinionis addita particula aperire vituperareque voluisse credamus: „als ob ihre schuld getilgt würde". Repetendum est, quod iam supra commemoravimus, nos pro certo diiudicare non posse, qualis sit vera et ab Tacito petita particulae significatio. Attamen in explicandis his locis interpretis libertatem in libidinem non vertimus neque temere viam tot insignium grammaticorum vestigiis detritam vitavimus aliamque et novam ingressi sumus. Non enim desunt causae, quibus permoti nostrum ad iudicium de particulae vi pervenimus. — Primam causam ex toto Taciti scribendi genere summaque ex fide hausimus, qua opera sua, maxime scripta maiora, Historias et Annales composuit, quibus egregie testatus est, se summam virtutem eorum, qui res gestas scriberent, consecutum esse fereque semper integram servasse. Qui facta et res gestas memoriae tradidit eaque, quae homines in eis perficiendis cogitarent, narravit, qui autem, si causas rationesque quibus adducti animorumque sensus quibus commoti sunt introspicere atque dilucide intelligere non poterit, non suam propriam de rebus sententiam eis imputavit sed formulis certis („incertum an" similibusque) omne cautionis genus adhibuit atque legentibus permisit, quale iudicium ferre vellent.

Haec obiectivitas iis quoque locis apparere videtur, quos nos in disputationem vocavimus: quibus suam sententiam non edidit, quibusque causas, ex quibus facta orta sunt, non ut suas, sed ut proprias hominum protulit, de quibus sermo habetur, ut legentes sine ira et studio diiudicare possint, utrum verae an falsae sint. —

Ex eis, quae recta esse cognovimus, cum de particula „quasi" dissereremus, secundam sumpsimus causam. Hac enim in quaestione didicimus certis locis (Annal. XIV, 65; XV, 15) certis ex causis, respectu habito ad sermonis contextum, nullo modo aliam, quam nos particulae „velut" quo-

quo tribuere ausi sumus, significationem ferri posse. Quae cum ita sint, si computemus certam duarum particularum similitudinem, quae haud raro apud Tacitum quoque promiscue adhibeantur, sane temere non fecimus, cum putaremus idem in particula „velut“ quod in „quasi“ valere, etsi infelicem ob casum ex ipsis locis certis causis, quae omnino refelli non possint, hanc nostram sententiam veram esse approbare non possumus, id, quod locis, quibus de eodem particulae „quasi“ usu disseruimus, fieri potuit.

Sed non solum particulam „quasi“, „tamquam“ quoque auxilio vocamus, ut nostram defendamus sententiam. Nam haec quoque particula praeter „quasi“, particulae „velut“ simillima, quod Heraeus in programmate Hammensi (anno MDCCCLIX) accuratissime demonstravit, comparativam vim saepius abiecit eiusque in loco causalem accepit ut „quasi“. (Cf. Agric. XXXVIII; XXV; Germ. XXII; Dial. XVIII.)

Analogia harum duarum particularum ius quoddam nobis praebere videtur, quod in tertia simillima quoque significationem causalem quaeramus et accipiamus. —

Tacitus particulam „tamquam“ eo usu eaque significatione, de qua diximus, iam cum scribere coepisset, in Dialogo et Germania adhibuit; „quasi“ et „velut“ hac vi praeditae in posterioribus tantum scriptis, quae, cum iam ad certam stili perfectionem et constantiam pervenisset, composuit, legenti occurrunt, crebrius „quasi“, rarius „velut“, ita ut iure concludendum sit, usum illum particulae „tamquam“ iam ab initio attributum et inhaerentem, quo magis scribendi artem excoleret, sensim sensimque etiam in particulas „quasi“ et „velut“ translatum esse.

„Quasi“ indicans causam in subiecto enunciationis viventem atque efficientem vicies invenitur. Unum exemplum exstat in Historiis, reliqua omnia in Annalibus leguntur. Quinquies particula coniunctionis munus suscepit.

„Velut“ eandem usurpavit vim omnino duodecies: semel in Germania, bis in Agricola, sexies in Historiis, ter in Annalibus. Semel coniunctionis partes agit. Quibus ex numeris discimus usum particulae „quasi“ vi causali instructae magis magisque crescere, particulae velut autem paulatim minui.

Atque quod hac in singulari et, ut ita dicam, speciali particularum significatione observavimus, etiam valet, si totam earum frequentationem contemplamur. Quae sequuntur tabellae dilucidius, quae diximus, confirmabunt si cum illis, quas de particula „quasi“ antea composuimus eas comparaveris.

Tabella I.

Loci, quibus omnino particula „velut“ invenitur:

Dialog. V, 24	Germ. VII, 7	Agric. X, 14	Hist. I	II	III	IV	V	Annal. I	II
VII, 20	XXIX, 7	X, 27	XXIV, 1	VIII, 2	I, 3	III, 15	IV, 5	VIII, 24	VI, 14
IX, 21	XXXI, 9	XVI, 22	XXIV, 7	XV, 8	IX, 26	VII, 14	VII, 6	X, 32	XXV, 15
XIV, 1	XXXII, 4	XVIII, 2	L, 6	XX, 1	XI, 1	XIV, 8	XIX, 9	XVII, 2	XXXVIII, 13
XVII, 30	XXXXIII, 23	XXIII, 6	LXII, 15	XXVIII, 8	XI, 9	XXXV, 7	XXIII, 6	XXXIV, 5	
XIX, 1		XXIV, 16	LXXIX, 9	XXXVIII, 15	XXX, 18	XXXXI, 8		XXXXI, 1	
XXII, 15		XXXV, 10	LXXIX, 10	LXXXXI, 6	XXIII, 15	XXXXIII, 6		LXV, 7	
XXII, 24		XXXXIII, 17	LXXXII, 10		XXVII, 15	XXXXVI, 14			
XXVI, 25		XXXXIV, 19	LXXXIX, 6		XXXVII, 6	LXII, 14			
XXX, 14		XXXXVI, 18			LIX, 1	LXX, 5			
XXXII, 19					LXII, 9	LXXI, 7			
XXXIII, 4					LXVIII, 9				
XXXVIII, 8					LXVIII, 15				
XXXIX, 4					LXXIII, 4				
XXXIX, 14					LXXV, 13				
XXXIX, 15					LXXXIII, 15				
16 ×	5 ×	10 ×	9 ×	6 ×	15 ×	10 ×	4 ×	6 ×	3 ×
			44 ×					9 ×	

III	IV	V	VI	XI	XII	XIII	XIV	XV	XVI
XXII, 11	XXVII, 6	III, 4	V, 15	XII, 13	XXXXVI, 1	XIV, 3	VI, 3	XXXX, 3	VI, 3
XXVIII, 13	XXXI, 8		V, 16	XXII, 24	LXVIII. 5	XXV, 18	XXXI, 5	LIII. 12	XXVII, 11
LIII, 5	XXXIV, 22		IX, 3	XXIII, 12		XXVII, 11	XXXVII, 3	LVIII, 2	
LV, 18	XXXVI, 13		XXXVI, 17	XXVII, 4		XXX, 5	LII, 2	LXIII, 1	
	XXXX, 11		XXXXIV, 9			XXXXI, 14	LIII, 10	LXIX, 4	
	LI, 13		LVI, 9			XXXXII, 19	LXII, 17	LXXI, 23	
	LXVII, 21								
	LXVII, 24								
	LXIX, 8								
4 ×	9 ×	1 ×	6 ×	4 ×	2 ×	6 ×	6 ×	6 ×	2 ×
				46 ×					

Tabella II.

Coniunctionis partes suscepit „velut“:

Agric. XXXV, 10	Hist. II	III	Annal. III	IV	XI
	VIII, 2	XI, 9	LIII, 5	LXVII, 24	XXII, 24
		LXXXII, 15			

7 ×

Tabella III.

Servit particula comparationi:

Dial. V, 24	Germ. XLII, 4	Agric. X, 14	Hist. I	II	III	IV	V	Annal. I	II
IX, 21	XXXXIII, 23	X, 27	XXIV, 1	XXVIII, 8	I, 13	III, 15	XIX, 9	VIII, 24	VI, 14
XIV, 1	XXXI, 9	XVI, 22	XXIV, 7	XXXVIII, 15	XI, 1	XIV, 17	VII, 6	X, 32	XXXVIII, 13
XIX, 1	XXIX, 7	XXIII, 6	L, 6	LXXXXI, 6	XIII, 18	XXXXI, 8	XXIII, 6	XVII, 2	
XXII, 15		XXIV, 16	LXII, 15	XX, 1	XXIII, 15	XXXXVI, 14		XXXXI, 1	
XXII, 24		XXXXIV, 19	LXXI, 12		LIX, 1	LXXII, 14			
XXVI, 25			LXXIX, 10		LXVIII, 9	VII, 14			
XXX, 14			LXXXIX, 6		LXVIII, 15				
XXXII, 19			LXXIX, 9		LXXIII, 4				
XXXIII, 3									
XXXVIII, 8									
XXXIX, 4									
XXXIX, 14									
XXXIX, 15									
III, 30									
15 ×	4 ×	6 ×	8 ×	4 ×	8 ×	6 ×	3 ×	4 ×	2 ×
			29 ×					6 ×	

III	IV	V	VI	XI	XII	XIII	XIV	XV	XVI
XXVIII, 10	XXVII, 6	III, 4	IX, 3	XXIII, 12	XXXXVI, 1	XIV, 3	VI, 3	LXVII, 2	XXVII, 11
LV, 18	XXXI, 8		XXXVI, 17			XXV, 18	XXXVII, 3	LXIII, 1	
	XXXIV, 22		XXXXIV, 9			XXVII, 11	LII, 2	LXIX, 4	
	XXXVI, 13					XXXXI, 14	LIII, 10	LXXI, 23	
	XXXX, 11					XXXXII, 19			
	LXVII, 21								

28 ×

Pendet verb. finit. a partic.: Agric. XXXV, 10 Annal. III LXII, 5 XI XXII, 24 } 3 ×

Tabella IV.

Falsa species per particulam indicatur:

Agric. XXXXVI, 18	Hist. I	II	III	IV	Annal. I	II	III	IV	VI	XI
	LXXXII, 10	XV, 8	XXXVII, 6 LXII, 8	XXXV, 7 XXXXIII, 6 LXX, 5	XXXIV, 5 LXV, 7	XXV, 15	XXII, 11	LI, 13 LXIX, 8	V, 5 VII, 17 LVI, 9	XII, 13
1 ×	1 ×	1 ×	2 ×	3 ×	2 ×	1 ×	1 ×	2 ×	3 ×	1 ×
	7 ×				10 ×					

XII	XIII	XIV	XV
LXVIII, 5	XXX, 5	XXXI, 5 LXII, 17	XXXX, 3
1 ×	1 ×	2 ×	1 ×
5 ×			

Verbum finitum a particula pendet:

Agric. XXXV, 10	Hist. II	III	Annal. III	IV	XI
	VIII, 2	LXXXIII, 15	LIII, 5	LXVII, 24	XXII, 24
1 ×	1 ×	1 ×	1 ×	1 ×	1 ×
6 ×					

Tabella V.

Particula vim causalem praebet; graecae ὡς respondens:

Germ. VII, 7	Agric. XVIII, 2	Hist. III	III	IV	Annal. XI	XV	XVI
	XXXXIII, 17	IX, 26 XXVII, 15 LXXV, 15	LXXI, 7	IV, 5	XXVII, 4	LIII, 12	II, 3
1 ×	2 ×	3 ×	1 ×	1 ×	1 ×	1 ×	1 ×

11 ×

Verbum finitum a partic. pendet:

Hist. III, XI, 9

1 ×

DUE [redacted]

Lt 1.795
De particularum, quasi et, velut us
Widener Library 005647276
3 2044 085 235 646